



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi**

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Velvti Totidem Ramos  
Distributa

**Illsung, Jakob**

**Dilingæ, 1693**

Meditationes De Vita & Gestis Christi Quarto Anno Prædicationis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)



# MEDITATIONES

*De Vita & Gestis Christi*

*Quarto Prædicationis Anno.*

MEDITATIO CCCLXXXII.

*De Lazaro Resuscitato.*

Joan. II. V. I.

**P**UNCTUM I. *Erat autem quidam languens Lazarus Bethania, de castello Martha & Mariæ Sororis ejus. Miserrunt ergo Sorores ejus ad eum ( JESVM ) dicentes: Domine, Ecce! quem amas, infirmatur. Joan. II. V. I. Deus illis, quos amat, immittit morbos, & alia versa, quæ proin cum gratiarum actione, tanquam ex Amore profecta, suscipienda sunt: & sicut Sorores nihil dubitantes de potentia sanandi, neque de voluntate, si ita expediat, Divinæ Christi Providentiæ ac Sapientiæ rem omnem cum Indifferentiâ & Resignatione in Voluntatem ejus commiserunt, solum nunciantes morbum, non autem petentes subventionem ejus; sic nos easdem in omnibus his imitemur cum pari Fiducia & Resignatione dicentes, in qualibet adversitate: Domine, ecce, quem amas, infirmatur, tentatur, tristatur, tribulatur &c.*

**PUNCT. II.** *Audiens autem JESVS, dixit eis ( Discipulis suis & alijs præsentibus ) Infirmitas hæc non*



ad mortem, sed pro Gloria DEI, ut glorificetur Filius DEI per eam. v. 4. Sic adversitates nobis inmissas non credamus esse ad nostrum interitum, vel damnum, vel ad mortem Animæ, etiamsi graviter tentemur; sed ad Gloriam DEI, ex nostra Patientia, Humilitate, Victoriâ tentationis, Auxilio Divino &c. orituram. Pro hac autem libenter sustineamus quæcunque adversa.

PUNCT. III. Diligebat autem JESVS Martham, & Sororem ejus Mariam, & Lazarum. Vt ergo audivit: quia infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus. Deinde posthac dixit Discipulis suis: Eamus in Judæam iterum. Dicunt ei Discipuli: Rabbi, nunc quarebant te Judæi lapidare, & iterum vadis illuc? v. 5. Sic DEVS Dilectos non statim exaudit, nec statim illis succurrit; sed differt, moratur, dissimulat ferre opem pro majore illorum bono, & occasione Virtutum, ac Gloriâ suâ: in tempore autem opportuno efficaciter & certo juvat; quemadmodum hîc nec propriæ mortis periculo, nec occasione, quæ inde à Judæis sumpta est, ad eum post quatuordecim dies crucifigendum, se inhiberi passus est, quò minus ex Bethabara trans Jordanem, ubi post intentatam sibi lapidationem, teste Joanne c. 10. v. 29. morabatur, in Judæam ad Lazarum resuscitandum, & ad Sorores ejus consolandas rediret.

## MEDITATIO CCCLXXXIII.

### Continuatio ejusdem Historia.

Joan. II. v. II.

PUNCTUM I. Et posthac dixit eis: Lazarus Amicus noster

A 2



noster dormit: sed vado, ut à somno excitem eum. Dixerunt ergo Discipuli eius: Domine, si dormit, salvus erit. Dixerunt autem *JESVS* de morte ejus; illi autem putaverunt, quia de dormitione somni diceret. Joan. II. v. 11. Christus mortem Lazari Amici sui somnum vocavit, partim ut suis Discipulis, insidias Judæorum metuentibus, mortis metum eximeret; hinc paulò post. v. 36. excusso metu dixit Thomas, qui dicitur Didymus (id est Gemellus) ad Condiscipulos: *Eamus & nos, & moriamur cum eo* (id est est, Christo, cui propter intentatam nuper lapidationem in Judæam redeunti mortem ominabatur) partim ut ostenderet facilitatem resuscitandi Lazari Amicum ad vitam; & quòd mors Amicorum Dei, ad Vitam Æternam resuscitandorum, potius somnus, quàm mors dicenda sit. Noli ergo metuere mortem, sed velut somnum, & optatam quietem desiderare; id unum cura, ut tanquam Amicus, & in Gratia DEI constitutus moriaris: *Beati enim mortui, qui in Domino, id est, per Gratiam, & Amicitiam Dominum uniti, & conjuncti moriuntur.*

PUNCT. II. *Tunc ergo JESVS dixit eis manifestè: Lazarus mortuus est: & gaudeo propter vos, ut credatis: quoniam niam non eram ibi; sed eamus ad eum.* v. 14. Observa, quam prudenter Christus Discipulos suos, antequam eum mortem Lazari, quem illis percharum sciebat, manifestè denunciaret, priùs per obscuram & Metaphoricam denunciationem, vocabulo somni & dormitionis usus, disposuerit, ut dein illam ipsam minorem cum tristitia, & terrore perciperent. Sic nec tu quemquam sermone turbes, & affligas; sed priùs illum de sponas ad leniter ferendum, si quid auditu ingratum dicendum est. Recordare, etiam de te aliquando, & fors



forſan brevè dictum iri: *Mortuus eſt*. Expende quoque, quare Chriſtus gaudeat, quòd non adfuerit Lazaro morienti: quia ſcilicet Miraculum Reſuſcitatio- nis, ad confirmandam ac ſtabiliendam Fidem Diſcipulorum efficaciffimum, ſalutiferâ ſuâ præſentiâ im- peditum fuiſſet, eò quòd minùs decenter lacrymas & preces ſuorum repellere potuiſſet. Hinc & Mar- tha v. 21. & Magdalena. v. 32. dixit illi: *Domine ſi fuiſ- ſes hìc, non eſſet mortuus Frater meus*. Sic ſæpe expedit, nos à DEO ad breve tempus deſeri, & in afflictione aliqua temporali relinqui. Tu verò roga Chriſtum, ut tibi morienti aſſe velit, non ut longiorem vitam, ſed felicem mortem afferat.

PUNCT. III. *Venit itaque JESVS, & invenit eum quatuor dies jam in Monumento habentem* (mortuus enim Lazarus eſt eodem die, quo nuncius morbi ad Chri- ſtum venit; & poſtea Chriſtus adhuc duobus diebus in Bethabara ſubſtitit, quæ quia decem horis à Betha- nia diſtabat, ideo quinto primùm die à morte Lazari, & quarto ab ejus ſepultura, Bethaniam venit) Conſi- dera, Lazarum Typum eſſe hominis in peccatis ſuis inveterati, & coram DEO ac hominibus jam fætentis; quemadmodum de Fratre ſuo mortuo Martha dixit: *Domine jam fateri, quatrivanus eſt enim*. v. 39. Quantò plus fœtet, & DEO nauleam creat Peccator non ſo- lum quatrivanus, ſed multo tempore in peccatis ſepultus jacens, & peccandi conſuetudine detentus? Tu itaque ab omni peccato, & à peccandi conſuetu- dine per oppoſitas Virtutes abſtine; & id potiùs cura, ut cum S. Paulo 2. Cor. 2. v. 15. dicere poſſis: *Chriſti bonus Odor ſumus DEO*, Ad aliorum verò Peccato- rum Reſuſcitationem, quantum potes, Chriſto ve- nienti



372 *Ab Octava SS. Corp. Christi usque ad Adventum.*  
nienti cooperare, sicut illi ad Lazari Resuscitationem  
cooperati sunt, quibus dixit: *Tollite lapidem.* v. 39. *Eti*  
*solvite eum, & finite abire.* v. 44. Tollenda nempe sunt  
obstacula, sive impedimenta Pœnitentiæ, ac emen-  
dationis. Solvenda peccatorum vincula, ac con-  
suetudines. Deserendus locus, & occasio peccandi.

## MEDITATIO CCCLXXXIV.

### *Continuatio eiusdem Historiæ.*

Joan. II. v. 19.

**P**UNCTUM I. *Multi autem ex Judæis venerant ad Mar-*  
*tham, & Mariam, ut consolarentur eas de Fratre suo.*  
*Martha ergo, ut audivit, quia JESVS venit, occurrit illi.*  
*Maria autem domi sedebat.* Joan. II. v. 19. Sic & tu, hu-  
mano relicto solatio, occurre venienti DEO, Consola-  
tori tuo; humana enim solatia parùm profunt, DEVS  
autem consolatur corda. Id expertus David inquit  
Ps. 76. v. 3. *In die tribulationis meæ DEVM exquisivi,*  
*manibus meis nocte contra eum: & non sum deceptus. Re-*  
*nuit consolari Anima mea, memor fui DEI, & delectatus*  
*sum.* Si itaque ad DEVM refugias, orando, poscendi  
Auxilium, proponendo illi tuam necessitatem; DEVS  
occurris, qui ad opem & Solatium tibi afferendum  
paratus te expectat. Ideo S. Jacobus in Epist. c. 1. v.  
13. ait: *Tristatur aliquis vestrum? Oret.* Martham ergo  
sequere, & relinque Mariam apud onerosos consola-  
tores domi sedentem. Cæterum Auxilijs Divinis  
etiam cooperandum est: Illa enim conferendo DEVS  
venit ad nos: Illis autem cooperando nos occurrimus  
DEO.

Pusc



PUNCT. II. Dixit ergo Martha ad JESUM: Domine, si fuisses hic, Frater meus non fuisset mortuus. v. 21. Etiam si enim non dubitaverit Martha, quin etiam absens potuisset impedire mortem Fratris: nam statim addidit: Sed nunc scio: Quia quaecunque poposceris à DEO, dabit tibi DEVS. v. 22. Et mox v. 27. dixit: Vtique Domine, ego credidi, quia tu es Christus, Filius DEI Vivi, qui in hunc Mundum venisti. Sciebat tamen, Christum plerumque per suam corporalem Præsentiam, atque etiam per Attactum, vel Manuum impositionem Miracula patrare solitum. Disce Marthæ exemplo, confidere corporali Præsentia Christi in S. Eucharistia, atque ideo eam devotè sume, vel coràm adora, & sic ab omnibus malis, præsertim à morte Animæ te præserva: Hic est enim Panis de Cælo descendens: ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur. Ego sum Panis Vivus, qui de Cælo descendi. Si quis manducaverit ex hoc Pane, vivet in æternum. Joan. 6. v. 50. Non solum autem corporali Præsentia Christi, sed etiam Spirituali per Gratiam Auxiliantem, & per memoriam ejus omnia cognoscentis, à morte Animæ præservaberis. Cura ergo, ut semper ita tibi præsentem habeas: & sic nunquam dices: Domine, si fuisses hic, ego non fuisset mortuus.

PUNCT. III. Dicit illi JESUS: Resurget Frater tuus. v. 23. Cùm autem Martha hæc verba non de mox futura Resuscitatione, sed de Universalis Resurrectionis mortuorum intelligeret, inquiens: Scio, quia resurget in Resurrectione in novissimo die: illam ad immediatæ Resurrectionis Fidem ac Spem disposuit Christus, ostendendo, Se esse Resurrectionem & Vitam causalem; & sicut uniuscuiusque hominis Fides viva, ac



Charitate formata illum movet ad dandam ei Vitam Æternam; sic æquè Fidem Marthæ ( ut patet ex v. 40. ) moturam ad vitam temporalem, statim ac quam primùm mortuo Fratri restituendam. Ideo restitutionem futuram temporalis Vitæ ex restitutione Vitæ Æternæ confirmans, *Dixit ei JESVS: Ego sum Resurrectio & Vita. Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit (secundùm corpus, postquam crediderit) vivet. Et omnis, qui vivit, & credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc? v. 25.* Sic neque de Vita & Resurrectione Spirituali Fratris tui, quamvis quadriduani & jam fætentis peccatoris, desperes; si enim precibus, adhortatione, admonitione &c. eum constanter persequeris, *Resurget Frater tuus.* Vel maximè autem procuram tuam Resurrectionem statim, si per peccatum mortuus fueris. Si autem vivis, constanter crede *Viva*, ne moriaris in æternum.

## MEDITATIO CCCLXXXV.

### *Continuatio eiusdem Historiæ.*

Joan. II. v. 28.

**PUNCTUM I.** *Abiit (Martha) & vocavit Mariam Sororem suam silentio, dicens: Magister adest, & vocat te. Joan. II. v. 28.* Vel enim revera Christus iussit vocari Mariam, vel Martha rectè præsumpsit. Sic & nos, cum priùs pervenerimus ad Christum, etiam Fratrem, sive Proximum nostrum vocemus, primùm propriæ, deinde alienæ Salutis studiosi. Sed vocamus silentio, & clam, non quærentes publicam famam, aut plausum, imò etiam consulentes honorem Proximi;



Proximi; ideo Christus Matth. 18. v. 15. ait: *Si autem peccaverit in te Frater tuus, vade & corripe eum inter te, & ipsum solum. Si te audiêrit, lucratus eris Fratrem tuum.*

PUNCT. II. *Illâ (Maria) ut audivit, surgit citò, & venit ad eum: Nondum enim venerat JESVS in Castellum (ne inde deberet ad sepulchrum Lazari rursus exire) sederat adhuc in illo loco, ubi occurrerat ei Martha. Iudei ergo, qui erant cum ea in domo, & consolabantur eam, cum viderent Mariam, quia citò surrexit, & exiit, secuti sunt eam. v. 29.* Quoties te silentio per internas Inspirationes vocat DEVS, tēque exspectat; nec tamen citò surgis, & venis ad eum? Quoties pergis in otiosis colloquijs & confabulationibus cum hominibus; & tamen DEVS te vocat ad Orationem, ad studia, ad functiones officij? Quoties vano respectu hominum te finis retardari à Vocatione DEI, & ab accessu ad DEVM? Quoties venis ad DEVM, & ad Colloquium cum DEO, Orationis tempore ad illud evocatus; & non relinquis post te confabulatores tuos, & distrahentem turbam cogitationum tuarum? Non sic fecit Maria Magdalena.

PUNCT. III. *Mariâ ergo cum venisset, ubi erat JESVS, videns eum, cecidit ad pedes ejus, & dixit ei: Domine, si fuisses hic, non esset mortuus Frater meus. v. 32.* Sic ad Orationem sive ad colloquium cum DEO veniens, DEVM velut præsentem oculis mentis aspice, & externâ etiam corporis Reverentiâ ante illum prostratus, illi loquere. Hæc Divinæ Præsentia viva memoria, & exterior corporis habitus plurimum juvabunt ad devotionem internam. Adverte etiam, quòd, licet ambæ Sorores Lazari fuerint valde illius amantes, neutra tamen pro eo resuscitando, vel è purgatorio



liberando apud Christum intercesserit, sed utraq[ue] duntaxat mortis causam in Christi absentiam retulerit. Id totum ferè compassionis genus est, quod mortuis impenditur, ut cum dolore memoretur, quod fieri, vel non fieri debuisset, ut mors non evenisset. Ne ergo Satisfactionem tuam, in aliorum Suffragiis confusus, differas. Denique observa, Mariam Magdalenam iterum consuetum sibi locum, id est, infirmis ad pedes Christi delegisse: hic est enim mos Humili-um, semper ultimum locum tenere, & velut sibi proprium ac debitum vindicare.

## MEDITATIO CCCLXXXVI.

### *Continuatio Ejusdem Historie.*

Joan. 11. v. 33.

**PUNCTUM I. IESVS** ergo, ut vidit eam plorantem, & Judæos, qui venerant cum ea, plorantes, infremuit Spiritu, & turbavit seipsum. Joan. 11. v. 33. *Et lacrymans est IESVS.* v. 35. Considera causam, quæ Christum ad fremitum cum summa decentia & rationis moderatione, etiam externo signo editum, & ad conturbationem, sive vehementem tristitiam animi impulserat, non tam fuisse mortem Lazari, mox resuscitandi, quàm miserum statum hominis per peccatum mortui, quem Lazarus, veluti visibilis imago illius, representabat. Unde fremebat mente, & vehementer indignabatur Christus, quòd Judæi tam faciles essent ad lacrymas compassionis propter mortem corporalem Lazari, & tam duri ad lacrymas Pænitentiae, atque ad Fidem in Christum, sine qua impossibile



erat ipsis à morte Animæ ad Vitam Æternam pervenire. Ideo, cùm quidam ex Judæis dicerent: *Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere, ut hic non moveretur*; renovatâ per hoc dictum indignationis causâ, ait Evangelista. v. 38. *JESVS ergo rursus fremens in semetipso, venit ad monumentum.* Quæ indignatio, quia ex Amore, quem testabantur lacrymæ, profecta est; idcirco non tam ad Lazarum, quàm ad Judæos, & ad quemvis deploratum peccatorem referri possunt verba illa: *Ecce quomodo amabat eum.* v. 36. Imò quia pro homine peccatore Christus non tantùm lacrymas, sed & Sanguinem fudit, hic longè magis causam dicendi præbet: *Ecce quomodo amabat eum.* Tu ergo noli Christo esse causa tam justæ indignationis, ac tristitiæ; sed potius simili zelo indignationis, tristitiæ, & compassionis feraris erga quemvis peccatorem, ut ad ejus Resuscitationem pro viribus coopereris.

PUNCT. II. In modo resuscitandi Lazarum, considera modum resuscitandi peccatorem. 1. *Ait JESVS: Tollite lapidem:* ut v. 39. legitur. 2. *JESVS autem elevatis sursum oculis, dixit: Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me* (unde colligitur, eum pro Lazaro orasse) *Ego autem sciebam, quia semper me audis &c.* 3. *Voce magna clamavit: Lazare veni foras.* 4. *Dixit JESVS: Solvite eum, & snite abire.* v. 43. & 44. His omnibus, vel saltem aliquo horum modo cooperare ad Resuscitationem mortui secundùm Animam peccatoris. Tollandus enim est lapis, sive durities cordis, & obstaculum Conversionis. DEVS pro illo orandus. Foras à profundo peccatorum tumultu voce magna, efficaci scilicet adhortatione, evocandus. Solvenda etiam

A a 5                      vincula,



vincula, quibus post Resuscitationem adhuc confictus tenetur; nimirum pravæ inclinationes, & habitus eximendi.

**PUNCT. III.** *Et statim prodit, qui fuerat mortuus ligatus pedes, & manus insitis, & facies illius sudario velata. v. 44.* Sicut ad vocem Christi revixit Lazarus sic ad vocem Sacerdotis, absolventis à peccatis, reviviscit peccator. Sicut autem Lazarus prodit ex monumento sepulchri valde impeditè, quia adhuc pedes ipsi erant ligati, & manus, & facies erat velata, quò minùs videret, quò iret: Sic peccator à peccatis reviviscens, & prodiens, retinet suas pravas inclinationes, inordinatas passionès, perversos habitus, quibus ligantur manus, & impediuntur ab executione Bonorum Propositorum: ligantur etiam pedes Voluntatis, quò minùs expeditè feratur in Bonum, & occæcatus manet Intellectus, ut honestatem virtutis, ac inhonestatem vitij non satis agnoscat. Cura, ut ab his vinculis sis liber, & alios solvas.

## MEDITATIO CCCLXXXVII.

*De Concilio adversus Christum habito.*

Joan. II. v. 47.

**PUNCTUM I.** *Collegerunt ergo Pontifices & Pharisæi Concilium, & dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa Signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent nostrum locum, & Terram. Id est, nostram Civitatem, & Templum, & Terram devastabunt, nosque captivos abducent, ac dissipabunt, tanquam à Cæsare ad novum Regem & Messiam.*



Messiam deficientes. Hinc patet, quàm stulta, impia, & infirma sit humana, ac Politica Prudentia. Stultè enim tot Signis Pontifices & Pharisei fidem negârunt, propter quæ facti sunt, omnes alios credituros. Stultè timuerunt: quia Christus non affectavit terrenum Regnum; & si affectâisset, ille, qui poterat tot Signa facere, potuisset etiam Regnum suum tueri contra hostes quoscunque. Impiè decreverunt infontem occidere. Infirmum fuit consilium; quia quod Politica Ratio suasit, ut medium evadendi Romanos, id (nempe Mors Christi) fuit causa, ut Romani Ducibus Tito & Vespasiano, in ultionem Filij à Cælesti Patre post quadraginta annos immissi, venirent, & tollerent locum, ac Gentem Judaicam: utque etiam Ecclesia Romana tolleret Synagogam Judæorum. Tu ergo noli vitam tuam instituire secundum Prudentiam humanam hujus Mundi, quæ stultitia est apud DEVM teste Paulo. 1. Cor. 3. v. 19.

PUNCT. II. *Vnus autem ex ipsis, Caiphæ nomine, cum esset Pontifex anni illius, dixit eis; Vos nescitis quidquam, nec cogitatis, quia expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota Gens pereat. v. 49.* Ex Divino Oraculo hanc Veritatem protulit. Considera itaque genuinum illius sensum, & expende, quis, ac quantus sit ille homo, & quid sit retribuendum illi, qui Morte sua ita Bonum commune procuravit. An non æquum est, ut vicissim Amore illius exuatur amor proprius, & Bonum commune ac Bonum Christi bono privato anteponatur; atque adeo à nobis, contra, quàm Mundi sectatores solent (qui teste Paulo Philipp. 2. v. 21. *Omnes, quæ sua sunt, querunt, non quæ sunt JESU Christi*) quærantur ea potius, quæ sunt Christi, quàm quæ sunt nostra?

PUNCT.



PUNCT. III. *Hoc autem à semetipso non dixit: cum esset Pontifex anni illius, prophetavit, quòd IESUS moriturus erat pro Gente, & non tantum pro Gente, sed Filios DEI, qui erant dispersi, congregaret in unum. V. Id est, Fideles ex Gentilibus, & ex Judæis in unam Ecclesiam congregaret. Sic etiam Superiores nos prophetant; quia nos ipsi non scimus quidquam, nec cogitamus, quod expedit nobis. Illorum ergo iudicio nos penitus committamus; quia hoc ipso, quòd Superiores sint, à DEO reguntur, & illustrantur, ut etiamsi malè erga nos affecti essent, & nostrum bonum minimè intenderent, id tamen procurarent; sicut Caiphas suâ sententiâ procuravit Redemptionem totius Generis Humani, & Exaltationem Christi, cum ipse prorsus aliud intenderet.*

## MEDITATIO CCCLXXXVIII

*Christus ascendit Ierosolymam.*

Marc. 10. v. 32.

PUNCTUM I. *Erant autem (Christus & Discipuli) in via ascendentes Ierosolymam: & precedebat illos IESUS, & stupebant: & sequentes timebant. Marc. 10. v. 32. Considera ex eo, quòd Christus ab Evangelista dicatur præcessisse ad locum Passionis, indicari ingens desiderium, & promptitudinem patiendi, atque ad se alacriter sequendum alios incitandi: quandoquidem Momentaneum ac leve tribulationis nostræ supra modum Æternæ Gloriæ pondus operatur in nobis. 2. Cor. 4. v. 17. Unde immeritò etiam Sequentes timebant. Timeant potius ij, qui Christum non sequuntur.*

PUNCT



PUNCT. II. *Et assumens iterum Duodecim, capit illis dicere, quæ essent ei eventura. Quia ecce ascendimus Jerosolymam, & Filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum, & Scribis, & Senioribus, & damnabunt eum morte, & tradent eum Gentibus: & illudent ei, & conspuent eum, & flagellabunt eum, & interficient eum, & tertia die resurget.* Considera, quæ causæ fuerint hujus Sermonis Christi, ac Vaticinij. Hæ nimirum 1. ut, quemadmodum Christo volupe fuit, cogitare & loqui, de sua Passione, sic & nos Exemplo suo doceret libenter de ea cogitare, audire, & loqui, cum gratitudine & desiderio similia patiendi. 2. Ut, quemadmodum Christus hoc Vaticinio ostendit, Passionem suam non esse sibi improvisam, nec ingratam; sic & nos moneret, ut adversa nobis patienda prospiceremus, & in ea nos resignaremus, memores Felicis & Gloriosæ Resurrectionis: *si tamen compatimur.* Rom. 8. v. 17.

PUNCT. III. *Et ipsi nihil horum intellexerunt: erat enim Verbum illud absconditum ab eis, & non intelligebant, quæ dicebantur.* Luc. 18. v. 34. Non sic nos de Passione Christi audiamus, sed ejus veritatem, utilitatem, ac necessitatem penetremus, & cum magno fructu, ac multiplici affectu meditemur. Sapiamus ea, quæ DEI sunt, observantes illud S. Pauli monitum, Philipp. 2. v. 5. *Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo IESU.*

Et c.





## MEDITATIO CCCLXXXIX

*Jacobus & Joannes primas Sedes**ambiunt. Matth. 20. v. 20. Marc. 10.*

v. 35.

**P**UNCTUM I. *Tunc accessit ad eum Mater Filiorum Zabedai cum Filijs suis, adorans & petens aliquid ab eo. Qui dixit ei: Quid vis? Ait illi: Dic, ut sedeant hi duo Filij mei, unus ad Dexteram tuam, & unus ad Sinistram in Regno tuo. Matth. 20. v. 20. Quia verò, quod quis per alium facit, per seipsum facere censetur, ideo Marcus dixit: Et accedunt ad eum Iacobus & Ioannes, Filij Zabedai, dicentes: Magister, volumus, ut, quodcumque petierimus, facias nobis. At ille dixit eis: Quid vultis, ut faciamus vobis? & dixerunt: Da nobis, ut unus ad Dexteram tuam & alius ad Sinistram tuam sedeamus in Gloria tua. Quam conatu opponere nos debemus studio supra alios emulandi, cum Ambitionis vitium omnes alios precedendi, etiam Piscatoribus congenitum fuerit; & illud tamen tanta sit turpitudine, ut superbam petitionem puduerit per seipsos, & absque ambagibus proponere, sed Matrem substituerint, & prius generalibus verbis assensum rogaverint? Sicut autem hi duo Fratres habere appetentes fuerunt honoris; ita postea ibant gaudentes à conspectu Concilij, Quoniam digni habiti sunt pro Nomine IESU contumeliam pati. Act. 5. v. 41.*

**P**UNCT. II. *Respondens autem IESVS, dixit illis: Nescitis, quid petatis. Matth. 20. v. 22. Putabant enim, ut colligitur ex Luca. c. 19. v. 11. Christum post Resurrectionem illico Jerosolymis regnaturum, Regnum*



gnūmque illius fore terrenum. Sic quoties terrenum aliquid petimus, nescimus, quid petamus: an scilicet id utile, vel damnosum sit nobis futurum. Ideo S. Paulus Rom. 8. v. 26. ait: *Nam quid oremus, sicut oportet, nescimus: sed ipse Spiritus postulat pro nobis (id est, facit, & docet nos postulare) gemitibus inenarrabilibus: scilicet animo nostro infusis: quibus terrena nonnisi sub conditione, si nobis utilia & DEO placita fuerint; Cælestia verò, quæ DEO placita ex formula Orationis Dominicæ novimus, efficaciter appetimus.*

PUNCT. III. *Potestis bibere Calicem, quem Ego bibiturus sum? Matth. v. 22. Aut Baptismo, quo Ego baptizor, baptizari? Marc. 10. v. 38. At illi dixerunt: Possumus.* Passionem suam Christus Calicem, & Baptismum appellat, & Exemplum suum allegat: ut ad patiendum nos invitet suo Exemplo, & Patientiæ utilitatem per duplicem metaphoram declaret; quia velut sumptio Calicis, & ablutio corporis, se habet ad corpus, ita Patientia adversorum ad Animam se habet, quam refrigerat, recreat, & mundat. Cura ut velut duo Filij Zebedæi idem possis re ipsa respondere.

## MEDITATIO CCCXC.

### *Continuatio ejusdem Argumenti.*

Matth. 20. Marc. 10.

PUNCTUM I. *Calicem quidem, quem Ego bibo, bibetis: & Baptismo, quo Ego baptizor, baptizabimini: sedere autem ad Dexteram meam, vel Sinistram, non est meum datum vobis, sed quibus paratum est. Marc. 10. v. 39. Pro Gloria, & quiete temporali, quam per sessionem ad Dexte-*



Dexteram & Sinistram in Regno Christi terreno, tenderant duo Filij Zebedæi, Christus Calicem & Baptismum suæ Passionis promittit. Sic magnum DEI Beneficium est, si pro prosperis, quæ malè petimus, DEVS immittit aduersa, & tribuit simul Gratiam Patientiæ, ac Perseuerantiæ: tunc enim non negat prosperitatem, sed loco temporalis dat Æternam. Quemadmodum prædictis duobus Fratribus Christus non negavit Sessionem ad Dexteram & Sinistram, tantum negavit eam, quam petebant in Regno terreno, & quâ cupiebant alijs præferri. Unde responsio Christi non est negativa, sed parit quasi hunc sensum: Sedere autem ad Dexteram meam, vel Sinistram, non est meum dare vobis præ reliquis, sed est vobis, & omnibus alijs, quibus paratum est. Apud Matthæum enim capite præcedenti versu 28. Christus omnibus dixit: *Amen dico vobis, quòd vos, qui secuti estis me, in Regeneratione, cum sederit Filius hominis in Sede Majestatis suæ, sedebitis & vos super Sedes duodecim.*

PUNCT. II. *Et audientes Decem, indignati sunt duobus Fratribus.* Sic qui in Communitate privilegium vel honoratiorem inter suos locum, vel majorem apud Superiores favorem sibi exhiberi cupiunt, aliam in se odium, indignationem, invidiam, murmurationem &c, concitant; quod omnino cavendum est tam Subditis, quàm Superioribus. Jis tamen, qui talia quærunt, tu ne indigneris.

PUNCT. III. *IESVS autem vocavit eos ad se, & ait: Scitis, quia Principes Gentium dominantur eorum, & quia majores sunt, potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos. Sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit velis minister; & qui voluerit inter vos primus esse, erit omnium servus.*



*servus.* Sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare. In his verbis Christus tradit modum expugnandi Superbiam; nempe ut appetitui præcellentiæ, & eminentiæ occurratur per studium prorsus oppositum, se omnibus submittendi, vilissima officia obeundi, & inserviendi alijs. Ad hoc autem, loco Argumenti, adducit indecentiam, si Discipuli Christi, ac Perfectionis studiosi, potius morem Gentium, quam suum Exemplum imitentur, & negligant pollicitationem veræ Excellentiæ, ac eminentiæ, quæ habetur apud DEVM; apud quem ille Major est, qui Humilior est: idemque Major erit in Cælo.

## MEDITATIO CCCXCI.

### *De Cæco in via sanato.*

Luc. 18. v. 35.

**PUNCTUM. I.** Factum est autem, cum appropinquaret Jericho (ex Ephrem Jerosolymam ascendens, & hic pertransiens; multi tamen putant, non tunc, cum Christus appropinquaret Jericho, sed cum egrederetur, visum huic Cæco restitutum esse, prius verò solum fuisse petatum; & deinde petitionem fuisse iteratam. Unde existimant, hanc visus restitutionem esse eandem cum ea, quam iisdem propè verbis Matthæus c. 20. v. 29. & Marcus c. 10. v. 46. narrant in egressu ex Jericho contigisse; & quidem Matthæus duos memorat sanatos, sed Marcus etiam unius tantum mentionem facit, utpote famosioris, hinc & nomen ejus refert) Cæcus quidam sedebat secus viam, mendicans. Considera, per hunc Cæcum repræsentari

B b

hominem,



hominem, cupientem clarè agnoscere, quid credendum, quid agendum, quid omittendum, quid sperandum, quid timendum sit; cujus claræ cognitionis defectu, virtutum egens, inops, & mendicans est. In isto te ipsum respice, agnosce miseriam Cæcitate Spiritualis: & desidera, à DEO illuminari, atque prædicta omnia clarè videre.

PUNCT. II. Considera modum, quo Cæcus盲人 oculorum recepit: *Cùm audiret turbam prætereuntem, interrogabat, quid hoc esset. Dixerunt autem ei, quod IESVS Nazareus transiret. Et clamavit dicens: IESVS Filius David miserere mei. Et qui præbant, increpabant eum, ut taceret (ne molestus esset Christo prætereunti, & inter eundem docenti) Ipse verò multò magis clamavit: Fili David miserere mei. Stans autem IESVS iussit illum adduci ad se. v. 36.* Sic illuminatio Intellectus unice consideranda, constanti Fiduciâ ante alia minora, ac solum temporalia bona, à DEO petenda, & Ducibus Spiritualibus utendum, ut à Christo & à DEO illumineris; Duces autem sunt Superiores, Patres Spirituales, Prædicatores, Libri Ascetici. Imitandus etiam Cæcus, qui, quò magis à prætereunte turba distrahebatur, & avertebatur ab Oratione, eò magis clamabat, & intensius ac attentius orabat.

PUNCT. III. *Et cùm appropinquasset, interrogavit illum dicens: Quid tibi vis faciam? At ille dixit: Domine, ut videam. Et IESVS dixit illi: Respice, Fides tua te salvum fecit. Et confestim vidit, & sequebatur illum, magnificans DEVM. Et omnis plebs, ut vidit, dedit Laudem DEO. v. 40.* Ecce quàm media prædicta simul cum Fide ac Fiduciâ fuerint efficacia ad obtinendum盲人 oculorum corporalium. Non minùs erunt efficacia



cacia ad obtinendum Lumen oculi mentalis : istud  
 verò efficiet, ut sequaris Christum, ejus Vestigijs con-  
 stanter inhæreas, DEVM magnifices; & ut homines,  
 hoc videntes, dent Laudem DEO, quam etiam ipsi  
 soli relinques, nihil tibi ex illa decerpens.

MEDITATIO CCCXCII.

De Zachæo.

LUC. 19. V. 1.

PUNCTUM I. *Et ingressus perambulabat Iericho. Et ecce vir, nomine Zachæus: & hic Princeps erat Publicanorum.* (Exactores hi erant vectigalium, à Romanis & à Tiberio Cæsare Judæis impositorum) & ipse dives: & quærebat videre IESVM, quæ esset: & non poterat præ turba, quia staturâ pusillus erat. Sicut Zachæus non obstantibus publicis officij inquieti negotijs, ac divitiarum augendarum, conservandarumque solitudinibus, quærebat videre IESVM; sic non obstantibus Vitæ Activæ curis, semper conservandum est desiderium & studium Vitæ Contemplativæ, quâ ad DEVM attollamur: & ne turba cogitationum, & functionum circumstantium, nobis in Perfectione pusillis, mentis visum impediatur, Zachæus imitandus est, qui præcurrens ascendit in arborem Sycomorum (gignentem fructus similes Ficui, & folia similia Mori folijs) præcurrendum scilicet est & ascendendum ad Orationem, & ad locum opportunum Orationis, quæ piarum Affectionum, veluti fructuum dulcedine, & sapientium Propositorum, veluti Mori minimè fatuæ folijs Sycomorum refert: Sic enim supra terrenarum

Bb 2

cogi



cogitationum turbam prius elevati, sine earum subsequentium obstaculo DEVM è sublimi videbimus; inde in nosmet ipsos per Humilem nostrum ipsorum Cognitionem descendentes, digni erimus, qui DEVM Christum Dominum animi hospitio recipiamus, nobiscum detinere possimus, illud Christi imperium exequentes v. 5. *Zachae, festinans descende, quia in domo tua oportet me manere.*

PUNCT. II. *Et festinans descendit, & excepit illum gaudens.* v. 6. His verbis in sensu morali cordis alacritas per festinationem; Contritio, & Humiliatio & per descensum designatur; ac inde consequens quies ex subita mutatione animi, & DEI per Gratiam receptione orta. Sic etiam tu festinans descende, & excipe illum gaudens. In eo excipiendo autem Zachæum etiam imitare, qui prius vidit Christum DEVM. *Quis esset*, quem ipse peccatis suis offenderat: Mo festinans descendit, in se, & in animi sui latebras, dicitque, quis ipse esset; ac peccatorem agnoscens, humili ac contrito corde Gratiam, & Salutem animi accepit: atque sic Salus Domui huic facta est.

PUNCT. III. *Et cum viderent omnes, murrurabant dicentes, quod ad hominem peccatorem divertisset.* v. 7. Hæc verba in contemptum, ac vilipensionem Zachæi dicta fuerant. Ille verò Humilium more, inde magis se humiliavit, & se quoque peccatorem profitens, *Stans dixit ad Dominum: Ecce dimidium bonorum meorum Domine, do pauperibus, & si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.* Sed Christus Zachæi estimationi consulens, eumque jam Justificatum pronuncians, inquit: *Hodie Salus Domui huic facta est, Domino domus, Salus Animæ) eò quod & ipse*



lius sit *Abrahæ* : Saltem imitatione Fidei, Justitiæ, & Sanctitatis *Abrahæ*; & Generatione Spirituali ex Christo, Filio *Abrahæ*, per Gratiam regeneratus. Hoc modo & tu esto Filius *Abrahæ*, ut merearis recipi in sinum *Abrahæ*, implens prius illud Christi Monitum, *si Filij Abrahæ estis, Opera Abrahæ facite.* Joan. 8. v. 39. Vide etiam, quantum honorem & laudem pro vituperio humiliter tolerato *Zachæus* receperit? Itaque sine alios de te sentire, quidquid velint: modò coram DEO Justus sis. Tu DEO tuam defensionem relinque. Præterea observa, si *Salus* facta est domui, id est, degenti in domo, ubi Christus solùm una die divertit; quantò magis degentibus in Templo *Salus* sit impertienda, ubi DEVS velut in Domo Orationis stabiliter residet ad exaudiendas preces illuc adventantium? *Salus* autem, quæ facta est, consistebat, & consistere debet in emendatione vitæ, & satisfactione.

## MEDITATIO CCCXCIII.

*De Servis decem Mnas accipientibus.*

LUC. 19. V. 11.

PUNCTUM I. *Hac illis audientibus* (quæ scilicet responderat Christus murmurantibus, quòd ad *Zachæum* peccatorem divertisset) *adiiciens, dixit Parabolam* (quam deinde paulò ante Mortem, paucis verbis mutatis, repetijt Matth. 25. v. 14. ubi pro *Mna* ponit *Talentum*, quorum unum continet Sexaginta *Mnas* apud Hebræos) *eò quòd esset prope Ierusalem* (quia nimirum ibi brevè passurus erat, & Judaicus Populus



ipſe etiã Parabolæ partem erat impleturus; quæ proinde indicatur fuiſſe cauſa referendi Parabolam) & qui exiſtimarent, quòd conſeſtim Regnum DŒI manifeſtaret (quem proinde errorem Diſcipulos ſuos dedocere voluit ſequenti Parabola) *Dixit ergo: Homo quidam bilis abiit in regionem longinquam, accipere ſibi Regnum & reverti.* (quòd Chriſtus fecit, cum Mortem ſubiit & poſtea ad Regnum Cælorum aſcendit, inde venturus, iudicare vivos & mortuos) *Vocatis autem decem ſervis ſuis* (quo numero certo & pleno univerſa multitudo ſervorum deſignatur) *dedit eis decem Mnas,* & ait ad illos: *Negotiamini, dum venio.* *Cives autem eius oderant eum: & miſerunt legationem poſt illum, dicentes: Nolimus hunc regnare ſuper nos.* (Judæi enim oderant Chriſtum, & negârunt, ſe alium Regem habere, niſi Cæſarem, proinde noluerant eum regnare ſuper ſe, quòd ipſum etiam in effectû dicunt, & nolunt omnes peccatores, ſuave Chriſti Jugum excutientes) *Conſidera, per decem Mnas decem ſervis diviſas, indicari, quòd ſingulis hominibus à Chriſto & ex Merito Chriſti dividantur Auxilia ſufficientia ad negotiandum, & ad lucrandam atque augendam Gratiã Sanctificantem per merita Bonorum Operum.* *Scilicet una autem Mna alia eſt aurea, valens apud Hebræos ducentos quadraginta aureos; alia argentea, valens ducentos quadraginta Julios ſive Regales; ſic etiam Mna Auxiliorum & Mediorum ad operandam Salutem eſt inæqualis; unde in eadem Parabola Matth. 25. repetitã, uni dicuntur eſſe data *Quinque Talenta,* alii autem duo, alij verò unum, v. 15. *Qualis Mna, & quod Talenta tibi data ſunt, quàm præſtantia, inquam, efficaciam Auxilia ac Media Salutis, ſive ſpectes videntur,**



naturales corporis & animi, sive Supernaturales, præfertim in Statu Religioso? Quantum ergo per tuam Mnam lucrari potes, & debes, nisi ingratus & infidelis esse velis?

PUNCT. II. *Et factum est, ut rediret accepto Regno: & iussit vocari servos, quibus dedit pecuniam, ut sciret, quantum quisque negotiatus esset. Venit autem Primus, dicens: Domine, Mna tua decem Mnas acquisivi. Et ait illi: Euge Bone Serve, quia in modico fuisti Fidelis, eris potestatem habens super decem Civitates. Et alter venit, dicens: Domine, Mna tua fecit quinque Mnas. Et huic ait: & tu esto super quinque Civitates. v. 15.* Sic pro inæqualitate Meritorum, cum Christus reversus fuerit ad Judicium, & homines ad illud per Angelos fuerint evocati, retribuentur Præmia inæqualia. Itaque imitare prædictos servos, maximè autem Primum, qui propter suam industriam maximè laudatus, & maximo honore ac potestate donatus est: industria enim illius, & studium Perfectionis, ac augmenti Gratia, non tantum fuit mediocre, sed summum: & tamen non sibi, verum Auxilijs & Medijs sibi datis à Christo, adeoque DEO, & Christo omne lucrum adscripsit: *Domine Mna tua decem Mnas acquisivi.* Sic ergo, quantumcunque in Virtute profeceris, nihil tibi inde attribuas, sed Gratia Divinae efficaci adscribas.

PUNCT. III. *Et alter venit, dicens: Domine, ecce Mna tua, quam habui repositam in sudario: timui enim te, quia homo austerus es: tollis, quod non posuisti; & metis, quod non seminasti. Dicit ei: De ore tuo te iudico serve nequam. Sciebas, quod ego homo austerus sum ( id est, severe puniens omnem culpabilem negligentiam ) tollens, quod non posui; & metens, quod non seminavi ( id est,*



supra Mnam, five supra data Auxilia, & supra collata Media, etiam ipsius hominis cooperationem exigens) & quare non dedisti pecuniam meam ad mensam (numulariorum, five foeneratorum) ut ego veniens utique cum usuris exegissem illam? Et astantibus dixit: Auferte illi Mnam, & date illi, qui decem Mnas habet (Namenque die Judicij, etiam particularis, per ipsam mortem tollentur Auxilia ad merendum data reprobis, qui illa non usi, vel abusi sunt; Probis autem relinquuntur in effectu suo, nempe in ipso Præmio; in quo etiam Mna servi pigri adijcitur illi, qui decem Mnas lucratus est, dum accipit speciale Gaudium propter ampliora Merita, quorum occasio fuit servi pigri negligentia; quæ Patientiæ, Correctionis Fraternalis, amplioris Fervoris &c. ansam præbuit) Addit Christus Matth. 25. v. 30. *Inutilem autem servum eijcite in terras exteriores (extra Regnum Cælorum offendentes oculis Animæ, & Corporis) illic erit fletus, & stridentium.* Si hoc fit cum eo, qui non utitur Mnâ sua, quid fiet cum abutente? Et quid si Mna non sit tantum unica, sed multiplex? Tu ergo ab utroque tibi cura & cura, ut Auxilia ad merendum data non tantum amittas, vel negligas per oscitantiam & remissionem, sed ut fervore tuo illa etiam augeas, & merearis ampliora, & ut ex aliorum negligentia majorem profectum capias. *Quia omni habenti dabitur, & abundabit ab eo autem, qui non habet, & quod habet, auferetur ab eo. v. 26.*

✠

MEDI



## MEDITATIO CCCXCIV.

*De Cæna in domo Simonis Leprosi.*

Matth. 26. v. 6. Marc. 14. v. 3. Joan. 12. v. 1.

**PUNCTUM I.** *JESVS* ante sex dies Paschæ venit Bethaniam (Jerosolymis digressus) ubi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitavit *JESVS*. Fecerunt autem ei cænam ibi (scilicet sequenti die Sabbati, pridie Dominicæ Palmarum: nec abludit ab hoc tempore Matthæus, quamvis per histerologiam prius referat Christi de sua Morte Vaticinium, quod postea contigit, scilicet die Martis, duorum tantum dierum intervallo Mortem Christi præcedentis) *Et Martha ministrabat.* (quamvis in domo aliena, nempe Simonis Leprosi, teste Matthæo, sed probabiliter vicinâ; & vel vicinitati, vel precibus sui vicini, vel Christi studiosæ Charitati id obsequium, tanquam perita coqua, tribuens) *Lazarus verò unus erat ex discumbentibus cum eo. Maria ergo accepit libram unguenti nardi pistici pretiosi, & unxit Pedes JESV, & extersit Pedes ejus capillis suis: & domus impleta est ex odore unguenti.* Joan. 12. v. 1.

Confidera inprimis in Martha pulchrum Humilitatis Exemplum, quòd Virgo nobilis & dives, in domo etiam aliena, Fratrem suum mensæ cum Christo assidente, non dedignata sit mensæ ministerium subire, minime vile, nec Nobilibus Natalibus suis indignum reputans, quod Christo, & ejus Discipulis præstitum esset. Hanc Humilitatem adeò *DEVS* ipsi compensavit, ut propter eam in toto nunc Christiano orbe non minus, quàm Soror ejus propter pretiosum un-



guentum Christo affusum, laudetur. Nihil ergo & tu vile ducas, quod pro DEI Honore obeundum est & quævis servilia obsequia Christo in Proximo, vel Proximo propter Christum libenter impende.

PUNCT. II. Considera in Lazaro (quem Evangelista cum Christo mensæ accubuisse memorat, utque in confirmationem veræ per Christi Virtutem factæ Resurrectionis ex mortuis) quomodo etiam actiones de se indifferentes ad DEI Honorem referendæ sint per bonam Intentionem; hæc autem Intentione, ut bona sit, debet esse libera ab admixtione alterius vani, vel temporalis finis: unde illi Judæi, de quibus Joannes hic v. 9. ait: *Venerunt non propter Jesum tantum, sed ut Lazarum viderent*; hac ipsa Evangelistæ animadversione minus sinceræ Intentionis vituperium subiêrunt. Prædictæ autem bonæ ac puræ Intentionis etiam ipse Christus hic specimen præbuit quando Ministerium Marthæ, & Magdalenæ pretiosam Pietatem erga se, non propter suam commoditatem ac Gloriam, sed propter Piarum Sororum solatium, ac Meritum Virtutis multiplicis, ac propter Patris sui Gloriam, qui in Filio honorabatur, admisit. Vnde Matth. 8. v. 40. dixerat: *Qui me recipit, recipit eum, qui me misit.* Et Joan. 8. v. 50. Ego autem non quæro Gloriam meam.

PUNCT. III. Considera in Maria Magdalena, quomodo domus odore unguenti, nempe odore variarum Virtutum, & Exempli domesticis præbendi, implenda sit: cum rigante enim Pedes Christi lacrymis, & capillis eos tergente, actiones Pænitentiae & Humilitatis exhibendæ sunt; cum effringente vas, & unguentum pretiosum in Christi Caput effundente



te (S. Marcus c. 14. v. 3. de illa testatur: *Venit mulier, nempe Magdalena: habens alabastrum unguenti nardi spicati pretiosi; & fracto alabaastro, effudit super Caput eius*) per Mortificationes corporis effringenda sunt lutea ac fictilia vasa corporum nostrorum, & in Caput Christi, quod Superiores nobis repræsentant, imò in ipsum Christum, effundendum Obedientiæ, Observantiæ, Charitatis sinceræ ac perfectæ unguentum, diffundens bonæ Famæ & Exempli odorem.

## MEDITATIO CCCXCV.

### *Continuatio eiusdem Historiæ.*

**PUNCTUM I.** Dixit ergo unus ex Discipulis eius, Judas Iscariotes, qui erat eum traditurus: *Quare hoc unguentum non vendisti trecentis denarijs, & datum est egenis?* Joan. 12. v. 4. Judæ murmuratione tribui videtur à S. Matthæo c. 26. v. 8. etiam alijs Discipulis. Quia vel quosdam ad eandem stimulavit, vel ponitur numerus pluralis pro singulari, ut in S. Scriptura sæpius ponitur solet. *Videntes autem Discipuli, indignati sunt, dicentes: Vt quid perditio hæc? potuit enim istud vendari multo, & dari pauperibus.* Sic etiam in Sacris & Religiosis Cætibus solent esse murmurationes, & unus sæpe seducit alios, atque ad idem faciendum instigat Virtutis prætextu. Cave ergo à tam noxio & contagioso vitio. Sic quoque Actiones Sanctæ & laudabiles ab alijs, & quidem à Probis etiam nonnunquam Viris, carpuntur, atque in sinistram partem accipiuntur. Itaque non cura, si actiones tuæ hominibus displiceant, neque propter eorum sinistros sermones à Virtutum actibus



396 *Ab Octava SS. Corp. Christi usque ad Adventum,*  
actibus desiste; sicut non desistit Magdalena. Satis  
tibi sit, si DEO placeas; quidquid dicant, & cogitent  
homines.

PUNCT. II. *Sciens autem JESVS, ait illis: Quid me-  
lesti estis huic Mulieri? Opus enim Bonum operata est in me.  
Nam semper pauperes habetis vobiscum: me autem non semper  
per habetis. Mittens enim hac unguentum hoc in Corpus  
meum, ad sepeliendum me fecit. Matth. 26. v. 10. Similiter  
illam, ut in diem Sepulturae meae servet illud. Joan. 12. v. 7.  
Quod habuit haec (id est, quod habuit in sua potestate,  
five quod potuit facere) fecit. Marc. 14. v. 8. Ecce  
quomodo Magdalenam, pro sui ipsius defensione ta-  
centem, Christus ipse defendat, & prudenter ac pie  
non autem prodigè egisse ostendat, eò quòd actus Pie-  
tatis & Religionis erga Christum præferendus sit actui  
Misericordiae erga pauperes, & quòd Mors Christi  
adeò sit propinqua, ut unctio præveniens Mortem  
fervire possit loco unctiois, quæ defunctorum cor-  
poribus honoris causâ exhiberi consuevit. Si ergo  
tunc (arguebat Christus) pretiosorum unguentorum  
effusio non est perditio, neque nunc est, quando Se-  
pultura mea, etiam ab inscia, pari honoris exhibendâ  
studio prævenitur, & unguentum non venditur, sed  
fervatur. Ex hac tam efficaci defensione discite, quo-  
modo DEVS possit & soleat eorum Honorem & In-  
nocentiam defendere, qui ipsi suam defensionem re-  
linquunt; & quomodo suâ causâ toleratum contemptum  
longè majori Gloria & Honore remuneretur. Mox  
enim addidit hanc promissionem Christus: Amen dico  
vobis, ubicunque prædicatum fuerit Evangelium istud in  
universo mundo, & quod fecit haec, narrabitur in memoriam  
ejus. Marc. 14. v. 9.*

PUNCT.



PUNCT. III. Considera, quomodo Christus ex defensione Magdalena occasione sumpserit, etiam inter epulas mentionem faciendi de sua Passione; quemadmodum in monte Thabor inter Cælestes Delicias de eadem cum Moyse & Elia locutus est, audientibus tribus Discipulis: ut ostenderet, quam voluntariè & libenter Passionem & Mortem adiret; simulque nos doceret, quomodo hujus vitæ gaudia imminentium calamitatum, ipsiusque mortis memoriâ sint temperanda, vel potius cumulanda gaudio de momentanea tribulatione, & miseræ hujus vitæ brevitate. Docet etiam Christus frequenti Mortis suæ prædictione, quam desideret à nobis frequentem Mortis & Passionis suæ recordationem, ac Meditationem.

## MEDITATIO CCCXCVI.

*Christus applaudente populo*

*Jerosolymam ingreditur.*

Matth. 21. v. 1. Luc. 19. v. 29. Marc. 11. v. 1.

Joan. 12. v. 12.

PUNCTUM I. In crastinum autem turba multa, quæ venerat ad Diem Festum, cum audissent, quia venit IESVS Jerosolymam, acceperunt ramos Palmarum, & processerunt obviam ei. Joan. 12. v. 12. Et cum appropinquassent (Christus & Discipuli ejus) Jerosolymis, & venissent Bethphage ad montem Oliveti, tunc IESVS misit duos Discipulos, dicens eis: Ite in castellum, quod contra vos est, & statim invenietis asinam alligatam, & pullum cum ea: solvi-



te & adducite mihi: & si quis vobis aliquid dixerit, dicit  
 Quia Dominus his opus habet: & confestim dimittet eos  
 Matth. 21. v. 1. Et deinde v. 6. sequitur: Euntes autem  
 Discipuli fecerunt, sicut praecepit illis **JESVS**. Et addu-  
 runt asinam & pullum, & imposuerunt super eos vestimenta  
 sua, & eum desuper sedere fecerunt. Hujus honoris ac-  
 ptandi **JESVS** tres causas potissimum habuit.  
 1. erat contentatio lætitiæ de sua instante Passione.  
 2. augmentum ignominia, & confusionis ex suble-  
 quente deductione ad supplicium: quò enim quis in  
 majori honore & æstimatione prius est constitutus,  
 eò majori ignominia & confusioni cedit publicus con-  
 temptus, isteque redditur major. Unde sicut nos  
 homines in ipsa Humilitate, & contemptu læpe ho-  
 norem & gloriam quærimus; sic Christus in honore  
 & gloria contemptum & humiliationem quæsiuit.  
 Ob hanc causam etiam medium & digniorem locum  
 inter latrones deinde acceptavit: quia iste illi delatus  
 est, eò quòd alios secum crucifixos criminum gravi-  
 tate, & dignitate ac merito supplicij, superare inde  
 argueretur. 3. Demonstratio mutabilitatis humanæ  
 dum, qui ab hominibus summè laudantur, honoran-  
 tur, amantur, mox contrarium experiuntur. Im-  
 tate lætitiæ de adversis prævisis: Humilitatem in-  
 sustinenda, & quærenda confusione: contemptum  
 vani & instabilis favoris, laudis & honoris; huncque  
 non nisi ex gravissimis causis Christi Exemplo ad-  
 mitte.

**PUNCT. II.** In hoc ingressu in urbem impletum  
 est Vaticinium Zachariæ c. 9. v. 9. *Ecce Rex tuus ve-  
 nit tibi iustus & Salvator, ipse Pauper, & ascendens super  
 asinum.* Quod S. Matthæus in sensu æquivalenti his  
 verbis



verbis allegat: *Dicite, filia Sion: Ecce Rex tuus venit tibi Mansuetus, sedens super asinam, & pullum filium subjugalis.* c. 21. v. 5. Sic Christus in ipso etiam Triumphali Ingressu in urbem, Justitiæ five Sanctitatis, Zeli in procuranda Salute hominum, Mansuetudinis, & Paupertatis vestigia relinquere voluit, ut eadem & nos apud homines, inter quos versamur, semper & ubique relinqueremus: & quando ad illa in animo nostro incitamus, cognoscamus, hæc esse indicia Visitationis ac Præsentia Christi.

PUNCT. III. *Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in via. Alii autem cedebant ramos de arboribus, & sternebant in via. Turba autem, quæ præcedebant, & quæ sequebantur, clamabant, dicentes: Hosanna Filio David: Benedictus, qui venit in Nomine Domini: Hosanna in altissimi (id est, sit Salus, quæso, à te Filio David, qui habitas in altissimis) Matth. 21. à v. 8. Pax in Cælo, & Gloria in excelsis. Luc. 19. v. 38. Quam multò aliter ex monte Oliveti inductus est Christus post quatuor dies elapsos in Jerusalem! Quam multò aliter acclamârunt: Tolle, tolle, crucifige eum, Et Non habemus Regem, nisi Cæsarem. Joan. 19. v. 15. Nihili ergo fieri debet omnis honor, laus, gratulatio &c, quando ab hominibus conferuntur. Nos verò non inconstantes Judæos, sed plurimam turbam Sanctorum Virorum, qui præcedebant Christum, & qui sequebantur, id est, utriusque Testamenti Sanctos Homines imitabimur, per veram & perfectam Paupertatem sternentes vestimenta nostra, & omnia, quæ habemus, in via hujus vitæ ante pedes ejus, qui venit, ut supra ex Zach. dictum est, *Et ipse Pauper.* Sternentes etiam ramos Palmarum, nempe Victoriarum, de nobis*

bis



blis ipsis, Mundo, Carne ac Dæmone relatarum: per  
 quas Justitiam & Sanctitatem imitemur ejus Regis  
 qui venit nobis *Justus & Salvator*. Cui etiam, ut Re-  
 gi, perfectam Obedientiam spondeamus, Pacem  
 cum illo servantes, & Gloriam ejus, qui in excelsis  
 habitat, quærentes. Cumque hæc omnia fecerimus  
 non nobis complaceamus, nec gloriemur: quia Chri-  
 stus potest sibi alios ejusmodi Cultores, nobis multo  
 præstantiores, procurare. *Quia si hi (nos) tacerent,  
 lapides clamabunt.* Luc. 19. v. 40.

## MEDITATIO CCCXCVII

*Christus illachrymans Jerosolymam  
 excidium prænuntiat.* Luc. 19. v. 41.

**PUNCTUM I.** *Et ut appropinquavit, videns Civitatem  
 flevit super illam.* Sic Christus dilexit Jerosolymam  
 nos, Necis suæ, post quinque dies sibi inferendæ, ac  
 tores, ut inter lætas acclamations totius Populi,  
 in ipso Glorioso Ingressu in urbem, potius deflere  
 illorum pœnam, post quadraginta annos totius urbis  
 excidio, per Titum & Vespasianum, infligendam  
 quàm proprias gravissimas injurias, quas in vita  
 honore sibi ab illis proximè inferendas sciebat. Sic  
 diligendi sunt inimici, sic condolendum malis allo-  
 rum.

**PUNCT. II.** *Dicens: Quia si cognovisses & tu, &  
 quidem in hac die tua, quæ (id est, quæ res) ad Pacem tibi:  
 nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis (per Aposto-  
 pefin reticetur præ vehementia doloris: illa non neg-  
 geres) Quia venient dies in te: & circumdabunt te inimici*



tui vallo, & circumdabunt te, & coangustabunt te undique, & ad terram prosternent te. v. 42. Hæc admonitio, & Excidij Jerosolymitani descriptio applicari potest cuiusvis homini, in hac vita vanè lætanti, & Novissima sua non prospicienti. Nam etiam huic dici potest: Si cognovisses & tu, & quidem *in hac die tua* (tempus enim præteritum & futurum non est tuum) quæ ad Pacem cum DEO retinendam utilia tibi sunt, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis, (quia scilicet de ijs non cogitas, nec illa consideras) illa utique non negligeres: nimirum non differres Pænitentiam, qua Pax cum DEO recuperatur; non committeres peccata, per quæ Pax amittitur, non negligeres Bona Opera, quibus Pax firmatur. Quia venient dies in te, quibus nempe cum morte & cum dæmonibus erit luctandum; & circumdabunt te inimici tui vallo, te non sinentes effugere certamen, & circumdabunt te, si non visibili, invisibili saltem modo, cingentes lectum lethaliter decumbentis; & coangustabunt te undique, ob oculos ponendo peccata præterita, imminens severum Judicium, Pænas intolerabiles, & Æternas, atque sic ad desperationem impellendo: cum autem mortuus fueris, in terram prosternent te, sepulchro includentes, & non relinquent in te lapidem super lapidem, nempe nec os adhærens ossi. Tu ergo cognosce, quæ ad Pacem tibi, in hac die tua; cognosce tempus Visitationis tuæ, quo DEVS te visitat, & ad Felicem Mortem obeundam, atque ad Animam tranquillè & securè agendam, Media & Auxilia suppeditat.

PUNCT. III. *Cum jam vespera esset hora, redijt in Bethaniam cum duodecim.* Marc. II. v. 11. Sic toto die

C c

in



in Templo occupatum expellendis negotiatoribus, & docendis rudibus, & sanandis cæcis ac claudis, teste Matthæo 21. v. 14. nemo tamen ad cœnam invitavit. Hæc à Mundo gratitudo pro nostris laboribus expectanda est. Sic in solis verbis subsistit omnis acclamatio & plausus hominum: sic qui glorioso hominum comitatu urbem ingressus est, desertus ab omnibus, cum famelicis Discipulis egressus est, & Bethaniam reversus. Vide, quid sit laus, honor, amicitia humana; quàm vana & inutilia, quàm brevia sint omnia.

## MEDITATIO CCCXCVIII

*Christus Mortem suam palam  
predicit. Joau. 12.*

**P**UNCTUM I. *Venit hora, ut clarificetur Filius hominis. Amen, amen dico vobis: Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit; ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Joan. 12. v. 24.* Cum Christus à populo Urbis Jerosolymitanæ propter resurrectionem Lazari quatruiduani è mortuis Resuscitatum publico applausu, & substratis Palmatum ramis exceptus esset, quando a sella vectus urbem ingredebatur; *Quidam etiam Gentiles ex his, qui ascenderant, ut adorarent in Die Festo, teste Joanne cap. cit. per Apostolum Philippum ad ipsum Christum adduci petierunt. Ille verò ostendens, tempus nunc advenisse, ut Gentibus manifestaretur, modò priùs Mortem iam sibi instantem subiisset, hujus necessitatem similitudine grani in terram seminati declaravit; quod nisi mor-*



riatur, sine fructu manet, mortuum autem multum fructum affert. Ex hac autem similitudine confirmat Christus, parem esse necessitatem moriendi cuiusvis homini, ut fructum Bonorum Operum afferat, vel fructum in Conversione Animarum faciat; qua ratione etiam Sanguis Martyrum Semen est Christianorum, ut isti Illorum Exemplo & Meritis vel multiplicentur, vel in Virtute crescant. Præter Mortem autem violentam, quam Christus & Martyres sustinuerunt, alia est voluntaria, omnibus communiter necessaria; de cuius necessitate & utilitate etiam intelligenda sunt Christi verba: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert*, tum intra se in propria Anima, tum extra se in Animabus aliorum: ad utriusque enim generis fructus necessarium est, ut homo sit planè mortificatus, & se voluntariè privet illicito usu Animæ suæ, & omnium Potentiarum tam internarum, quàm externarum; quod genus mortis expressit Christus istis proximè subjunctis verbis. v. 25. *Qui amat Animam suam, perdet eam: & qui odit Animam suam in hoc Mundo, in Vitam Æternam custodit eam.* Odisse autem est, negare Animæ omnem usum, & Exercitium Vitæ, idque omne, ad quod contra DEI prohibitionem inclinatur. Et hoc est seipsum mortificare, seu privare Animâ.

PUNCT. II. *Si quis mihi ministrat, me sequatur: & ubi sum Ego, illic & Minister meus erit.* v. 26. Ut Christus Servos suos ad mortem prædictam alliceret, proposuit ipsis suam Mortem in Exemplum, & suam Cælestem Gloriam in Præmium. Vult enim, ut ipsum ubique sequantur, & ipsi configantur in Cru-



ce, & cum ipso regnent in Cælo. An non hoc est æquissimum, & in constantem praxin jam deductum à SS. Martyribus, & alijs Sanctis?

PUNCT. III. *Si quis mihi ministraverit, honorificabo eum Pater meus.* vers. eod. Novum hoc ad mortem promptè suscipiendam incitamentum est. Quia enim Minister, & Servus Christi jubetur sequi Christum, & mori sicut granum, cadens in terram, quasi per contemptum in agrum projicitur, occiditur, & terrâ occultatur: ideo pro morte, abiectione, latendi studio, & contemptu brevissimo in terra promittitur ipsi Honor non qualiscunque, sed tantum major, quanto major est, qui Sanctos suos glorificat. Quantus Honor igitur habetur à DEO Sanctis in Cælo, & quàm gloriosos eos etiam reddit apud homines in terra degentes?

## MEDITATIO CCCXCIX.

### *De Ficu arefacta.*

Matth. 21. v. 18. Marc. 11. v. 12.

PUNCTUM I. *Et alia die cum exiret à Bethania (& Jerosolymam) esuriit. Cumque vidisset à longè Ficum habentem folia, venit, si quid fortè inveniret in ea; & cum venisset ad eam, nihil invenit præter folia; non enim erat tempus fructuum. Et respondens dixit ei: Iam non amplius in æternum ex te fructum quisquam manducet. Et audiebant Discipuli ejus. Et veniunt Jerosolymam.* Marc. 11. v. 12. *Et arefacta est continuò Ficulnea.* Matth. 21. v. 19. id est, arefacta arefieri: unde rursus Marcus ait, v. 19. *Et cum venisset*



ra facta esset, egrediebatur de civitate. Et cum manè transirent (rursus Bethaniâ redeuntes Jerosolymam) viderunt Ficum aridam factam à radicibus. Hæc Ficus, sicut erat figura Synagogæ Judaicæ propter fructuum defectum arefactæ; sic etiam est figura cuiusvis hominis, non (ut S. Paulus admonet Coloss. 1. v. 10.) in omni Opere Bono fructificantis; sed sola folia Bonorum Propositorum, vel Ceremoniarum, & actuum externorum sine veris & solidis Virtutibus proferentis; quia autem has Christus vehementer esurit, & quovis tempore ab homine expectat, eò quòd harum progignendarum semper sit tempus; ideo in arbore innocente, & extra ficorum tempus fructibus vacuâ, ostendit, quid faciat homini non omni tempore & in omni Opere Bono fructum ferenti. Reddit videlicet talem hominem subtractione Auxiliorum neglectorum aridum & sterilem, ita, ut nullos amplius Virtutum fructus producat, atque ideò tandem excindatur, ac in ignem mittatur. Vel præcoci morte è vivis eripit, ut ex tali *Tam non amplius in æternum fructum quisquam manducet.* Ideo Ecclesiastes cap. 9. v. 10. sapienter monet: *Quodcunque facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud Inferos, quò tu properas.* Et ipse Christus Joan. c. 9. v. 4. proprio Exemplo quemque admonet, dicens: *Me oportet operari Opera ejus, qui misit me, donec dies est: venit nox, quando nemo potest operari.* Ne ergo esto arbor, quæ mera folia sine Bonorum Operum fructibus profert.

PUNCT. II. *Et veniunt Ierosolymam. Et cum introisset in Templum, cepit eijcere vendentes, & ementes in Templo: & mensas numulariorum, & cathedras vendentium columbas*



*Columbas evertit: & non sinebat, ut quisquam transferret  
 Vas per Templum: & docebat eos, dicens: Nonne scriptum est:  
 Quia Domus mea Domus Orationis vocabitur omnibus gen-  
 tibus? Vos autem fecistis eam speluncam latronum. Marc. 11.  
 v. 15. Idem Christum fecisse & dixisse die præcedenti,  
 quâ cum ramis palmarum in urbem invecus, & mox  
 in Templum ingressus est, refert Matthæus c. 21. v.  
 12. Idem refert Joannes c. 2. v. 14. de initio Prædic-  
 tionis Christi, quando etiam negotiatores ex Tem-  
 plo flagello expulit. Quòd si Christus tanto, & tam  
 constanti Zelo Divini Honoris, Locum Orationis à  
 profanatione vindicavit, quantò magis ipsam Oratio-  
 nem, & cor, in quo veluti vivo Oratorio funditur  
 Oratio, profanari indignabitur? Sic ergo orare te-  
 portet, ut DEVM tibi Benignum Oratione tua, non  
 iratum reddas, ne cum Davide dicere cogaris Ps.  
 79. v. 5. Domine DEVS Virtutum, quousque irascèris super  
 per Orationem Servi tui? Imitare Zelum Christi, & si-  
 mili modo, vi, ac potestate eijce ex corde tuo omnes  
 impertinentes cogitationes, & distractiones maximè  
 tempore Orationis, quando cor tuum Domus Ora-  
 tionis est.*

PUNCT. III. *Et cùm vespera facta esset, egrediebat-  
 tur de civitate. Et cùm manè transirent, viderunt Ficum  
 aridam factam à radicibus. Et recordatus Petrus dixit ei:  
 Rabbi, Ecce Ficus, cui maledixisti, aruit. Et respondens  
 JESVS ait illis: Habete Fidem DEI. Amen dico vobis:  
 Quia quicumque dixerit huic monti: Tollere, & mittere in ma-  
 re, & non hesitaverit in corde suo, sed crediderit, quia  
 quodcumque dixerit, fiat, fiet ei. Propterea dico vobis,  
 Omnia, quacumque orantes petitis, credite, quia accipietis,  
 & evenient vobis. Et cùm statis ad orandum, dimittite,*



si quid habetis adversus aliquem, ut & Pater vester, qui in Cælis est, dimittat vobis peccata vestra. Hæ sunt alteræ duæ conditiones ad Orationem efficacem, ut nimirum prodeat ex corde, quod sit Fiduciam habens ad DEVM, & quod sit placatum Proximo. Et talis Oratione est unus ex fructibus, quos Christus in Ficu esuriens quæsit; nempe ut procedat ex corde à terrenis negotijs, ac cogitationibus abstracto, firmâ in DEVM Fiduciâ nixo, & Proximo per Charitatem conjuncto, ac placato.

## MEDITATIO CCCC.

*Christus Potestatem suam propugnans  
Judaorum pervicaciam arguit.*

Matth. 21. v. 23. Marc. 11. v. 27. Luc. 20. v. 1.

**PUNCTUM I.** Et veniunt rursus Ierosolymam. Et cum ambularet in Templo, accedunt ad eum summi Sacerdotes, & Scribae, & Seniores: & dicunt ei: In qua potestate hæc facis? & quis dedit tibi hanc potestatem, ut ista facias? **JESVS** autem respondens, ait illis: Interrogabo vos & Ego unum verbum, & respondete mihi: & dicam vobis, in qua potestate hæc faciam. Baptismus Ioannis de Cælo erat, an ex hominibus? respondete mihi &c. Et respondentes dicunt **JESVS**: Nescimus. Et respondens **JESVS** ait illis: Neque Ego dico vobis, in qua potestate hæc faciam. Marc. 11. v. 27. Ecce! quod Christus Mulieri Samaritanæ, homini cæco nato, & multis pauperibus, qui ipsum docentem audiebant, apertè dixit, se nimirum esse Messiam, Filium DEI à Patre Cælesti missum; id Sacerdotibus, Scribis, & Senioribus non apertè dicit, utpote non



dispositis, nec dignis, sed superbiâ, odio, invidiâ inflatis  
& obstinatè Fidem sibi negantibus. Sic DEVS multa ab  
scondit hujus Mundi sapientibus, & prudentibus, &  
revelat ea parvulis. Deinde quia de Potestate Chri-  
sti interrogantes, eam scire poterant, & cognoscere  
ex testimonio Joannis, quem non poterant negare  
esse verum Prophetam missum à DEO; & quia ex  
Miraculis, qualia nec Joannes fecit, multo magis  
re poterant Christi, quàm Joannis Potestatem, mo-  
rito non retulerunt aliud clarius & directius respon-  
sum. Atque ita multæ Divinæ Illustrationes, & cla-  
riores Rerum Cælestium cognitiones nobis negantur,  
quia notitijs perceptis non utimur, nec usu perfru-  
mus, nec ad Finem debitum ordinamus.

PUNCT. II. Negato clariore responso, quo pro-  
pter incredulitatem erant indigni, eandem ipsis mor-  
per hanc Parabolam exprobrat: *Quid autem vobis  
datur? Homo quidam habebat duos filios; & accedens  
primum dixit: Fili, vade, hodie operare in vinea mea. Ille au-  
tem respondens ait. Nolo. Postea autem penitentia mor-  
abiit; Accedens autem ad alterum, dixit similiter. At  
respondens, ait: Eo Domine; & non ivit. Quid ex vobis  
fecit voluntatem Patris? Dicunt ei: Primus. Dicit illis  
SVS: Amen dico vobis, quia Publicani & Meretrices pre-  
cedent vos in Regnum DEI. Matth. 21. v. 28. Quomodo  
modum Judæi propter Fidem & Obedientiam DEO  
fallaciter promissam reprehensi sunt adductâ Parabo-  
lâ, ita & tu frequenter reprehendi mereris, quia DEO  
Patris Cælestis Voluntatem, Mandata, & Regulas se-  
pe, contra boni Propositi aut promissionis fidem dis-  
tam, non studes exequi. Dicis: Eo Dómine, & non  
is. Imitaris homines Politicos, qui verbis suis oble-*



quia offerunt, & ea nec rogati præstant. Non sic Politicè agas cum DEO, promissa sua fideliter tibi servante. Pudeat te à Publicanis & Meretricibus, priùs nolentibus obedire Patri suo Cælesti, postea verò Pænitentia motis, studio exequendi Divinam Voluntatem, eamque perficiendi superari.

PUNCT. III. *Venit enim ad vos Ioannes in via Iustitiæ, & non credidistis ei: Publicani autem & Meretrices crediderunt ei: Vos autem videntes, nec Pænitentiam habuistis postea, ut crederetis ei.* v. 32. Imò ad te non tantum Joannes, sed ipse Filius DEI per varios Legatos suos venit, qui est Sol Iustitiæ, Via, Veritas, & Vita: & ipsius Doctrinæ, ac Exemplis ad obsequendum promptam Fidem non præstitisti. Videns autem tot sceleratorum hominum serias Conversiones, finis illos te præcedere in studio consequendi Regnum DEI. Itaque Pænitentiam habe: & ausculta Divinæ Veritati, Verbis & Exemplis te docenti, ac ducenti per viam Iustitiæ.

## MEDITATIO CCCCI.

### *Parabola de Vineâ Agricolis locata.*

Matth. 21. v. 33. Marc. 12. v. 1.

Luc. 20. v. 9.

PUNCTUM I. *Aliam Parabolam audite* (quâ Christus Judæis minatur, propter occisos ab illis Prophetas antiquos, ac denique propter futuram suâ interfectionem, & propter infidelitatem, ab ipsis aufere-  
rendam esse veram DEI Synagogam, & aliam Ecclesiam ex Gentibus congregandam esse) *Homo erat Pa-*  
Cc 5 *terfamilias,*



*et familias, qui plantavit vineam, & sepe circumdedit*  
*& fodit in ea torcular* (Marcus ait: *Et fodit lacum, foveam*  
*lacunam, quâ vinum expressum olim recipiebatur*  
*quæ, veluti pars totius machinæ, à Matthæo nominatur*  
*torcularis significatur; ideo dicit: Fodit in ea torcular*  
*& edificavit turrinam, & locavit eam agricolis, & perpendit*  
*profectus est.* Hanc Parabolam tibi accommodari  
 potes, intelligendo per Patrem familias DEVM; per  
 Vineam Religionem Christianam, vel Ordinem reli-  
 giosum, cum omnibus medijs ex illis colligi-  
 gendi fructus & uvas Bonorum Operum; per Sepem  
 Leges & Regulas, ac Vota Religiosa; per Torcular  
 seu Lacum, in quem vinum uvarum exprimitur,  
 Bonorum Operum & Exemplorum Communicatio-  
 nem, & Collectionem; per Turrinam Superiorum Vi-  
 giliantiam. Vide ergo, quàm fertilem, & quàm pro-  
 vidè, & optimè instructam Vineam tibi DEVS loca-  
 verit; considera Sepis altitudinem, firmitatem  
 securitatem; perpende Lacus amplitudinem, Turri-  
 latum prospectum, & in ea degentium Vigilantiam.  
 Proinde agnosce, quanta sit tua obligatio uberes fru-  
 ctus procreandi, alligandi vites, nempe Potentiam  
 animi, circumcidendi palmites passionum, & ab-  
 stinentionum voluntatis, illòsque à frigore, ventis, volu-  
 cribus &c. protegendi, arcendi feras effringentes se-  
 pem, parendi vigilum clamoribus ad repellendos fu-  
 res, pendendi fideliter Canonem, & debitam fructu-  
 um, uvarum, vel vini portionem.

PUNCT. II. *Cum autem tempus fructuum appropin-*  
*quasset, misit servos suos ad agricolas, ut acciperent fructum*  
*ejus. Et agricola apprehenderunt servos eius. &c. Matth.*  
 21. V. 34. Considera, tempus fructuum pendendi



dorum jam appropinquâsse, & pro varia temporis divisione nunc esse reddendos fructus devotæ Orationis, nunc utilis cujusdam operationis, nunc Patientiæ, Humilitatis, Mansuetudinis &c. Exactores fructuum esse Superiores, & Curatores Animarum. In hos autem non tantum manus non debes injicere, sed neque contumelia illos afficere, neque linguâ per murmurationem, oblocutionem, detractionem &c. lædere, neque odio & aversione proficere, si debitos fructus exigunt: multò minùs debes ipsum Filium DEI ullo peccato tibi metipsi rursus crucifigere. Sis ergo ex illis agricolis: qui reddant ei fructum temporibus suis.

PUNCT. III. Cùm venerit ergo Dominus Vineæ, quid faciet agricolis suis? Ajunt illi: Malos malè perdet, & Vineam suam locabit alijs agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis. v. 40. Approbat Christus hanc responsionem apud S. Marcum, & S. Lucam, eamque confirmat. Nota itaque illud: Malè perdet: Nam est aliqua bona perditio: quia, qui perdit Animam suam, Christo teste, inveniet eam. Bona perditio esset pæna medicinalis, sive pæna medicans: mala perditio est pæna vindicans. Væ ergo homini & agricolæ illi, quem DEVS malè perdit, à quo Vineam aufert, & in alium transfert! Time: & cave.

## MEDITATIO CCCCII.

### De Nuptijs Filii Regis.

Matth. 22. v. 1.

PUNCTUM I. Et respondens IESVS, dixit iterum in Parabolis



*bolis eis ( idem exprobrans , & comminans Judæos quod in præcedenti Parabola ) Simile factum est Regnum Cælorum homini Regi , qui fecit Nuptias Filio suo ( nempe Filius DEI sibi copulavit , & desponsavit Humanitatem per Unionem Hypostaticam ; ideo homines ad Cælestia Gaudia velut ad Convivium Nuptiale invitantur ) & misit servos suos vocare invitatos ad Nuptias , & volebant venire . Iterum misit alios servos ( prius enim misit Prophetas , deinde Apostolos eorum Successores : ad quosvis verò homines in particulari mittit DEVS Angelos Tutelares , & homines adhortatores , ac instructores in rebus ad Salutem pertinentibus ) dicens : Dicite invitatis , ( qui tunc temporis erant Judæi , ad quos Prophetæ & Apostoli missi sunt : nunc autem sunt Christiani ) Ecce Præparavi meum paravi , tauri mei , & altilia occisa sunt , & omnia parata : Venite ad Nuptias . Illi autem neglexerunt : & aliter fecerunt , alius in villam suam , alius verò ad negotiationem suam : reliqui verò tenuerunt servos eius , & contumeliosè eos occiderunt . Rex autem cum audisset , iratus est , & missis exercitibus suis perdidit homicidas illos , & civitates illorum succendit . Quàm itaque imprudenter agunt illi , qui negligunt Vocationem suam , & rusticam vitam , qualis est totus Mundus , & omnia bona illius si cum Cælestibus comparentur ; vel laboriosam negotiationem curarum terrestrium præferunt Regno Cælorum , ac delicijs plenæ Quietis inter Nuptialia Gaudia Æterna ? Expende etiam , quomodo & quomodo adhuc voceris ? Sed nunquid & te sæpe terrenum negotium , vel cura & sollicitudo , aut negotium inutile retardat , quò minus Veste Nuptiali induaris , & ma-*



gnis Virtutum passibus ad Nuptias properes.

PUNCT. II. *Tunc ait servis suis: Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui invitati erant, non fuerunt digni. Ite ergo ad exitus viarum, & quoscunque inveneritis, vocate ad Nuptias. Et egressi servi eius in vias, congregaverunt omnes, quos invenerunt, malos & bonos, & impletæ sunt Nuptiæ discumbentium. v. 8. Considera ingentem illorum, qui inventi sunt, & tuam ipsius Felicitatem, qui, cum in via esses ad perditionem, adhuc inventus es; & cum malus esses, vocatus es ad Nuptias. Non itaque te absterreat brevis labor in Veste Nuptiali induenda, & itinere faciendo; sed finem cogita, quo labor hic tendat. Ad Nuptias Filij Regis Cælestis, & Æterni vocaris: adeoque ad Cælestes, Regales, & Æternas Nuptias.*

PUNCT. III. *Intravit autem Rex, ut videret discumbentes: & vidit ibi hominem non vestitum Veste Nuptiali. Et ait illi: Amice, quomodo huc intrasti, non habens Vestem Nuptialem? (designatur per hunc hominem, omnis ille, qui neglecta Gratia Sanctificantis procuracione, præsumptuola mente & spe, inter Cælestes Convivas se ingerit) At ille obmutuit; tunc dixit Rex Ministris: ligatis manibus & pedibus eius mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentium. Tu non li expectare, donec manus & pedes tibi ligentur: sed utere manibus ad induendum te Veste Nuptiali, & Animæ ornamentis, per Opera Meritoria Gratia Sanctificantis: utere pedibus ad progrediendum, ne in via Virtutis ad Cælum subsistas, vel resideas. Post hanc vitam enim nec erit, nec juvabit ulla excusatio: sed obmutescendum erit. Et quia manus & pedes ligabuntur Gratiâ destitutis, ideo per*  
totam



totam Æternitatem manendum erit in tenebris et  
 terioribus, extra Regnum Cælorum, Oculis animi  
 Corporis obvolutis, ubi erit summa tristitia, & sum-  
 mus dolor.

## MEDITATIO CCCIII.

### *De Censu Cæsari reddendo.*

Matth. 22. v. 15. Marc. 12. v. 13. Luc. 20. v. 20.

**PUNCTUM I.** *Tunc abeuntes Pharisei consilium inierunt  
 ut caperent eum in sermone: & mittunt discipulos  
 cum Herodianis (id est, Herodis Ascalonitæ Infantici-  
 dæ defuncti fautoribus, & Cæsari similiter addictis,  
 sicut ipse ob præstitos sibi favores Cæsari fuit addi-  
 ctissimus) dicentes &c. Matth. 22. v. 15. S. Lucas  
 refert: Et observantes miserunt insidiatores, qui se iustos  
 mularent, ut caperent eum in sermone, ut traderent illi  
 principatui, & potestati Præsidis. Disce à Christo, pa-  
 tienter ferre invidios homines, & simulatos amicos  
 sive occultos inimicos. Et ne à quoquam in sermone  
 capi possis, coram nemine, quantumvis probus,  
 amicus homo esse appareat; & contra neminem, pro  
 fertim potentiozem Principem, vel Superiorem quicquam  
 quam dicas, cujus manifestatione tibi noceri, vel alius  
 offensus reddi posset. Si enim ipse filere non poteris  
 rem, alteri tertio non manifestandam, quomodo ab  
 auditore tuo fidem silentij tibi promittis, quem ne  
 scis, an sit, vel mansurus sit Amicus fidelis? vel alius  
 non saltem mediatè sermo tuus sit ad eorum, quibus  
 lum referri nolles, aures perventurus.*

**PUNCT. II.** *Dicentes: Magister scimus, quia Veritas*



es, & Viam DEI in Veritate doces, & non est tibi cura de aliquo: non enim respicis personam hominum, Matth. 22. v. 16. Considera, quàm quidem vera sit laus, sed quàm parùm sincera, & tantùm ad nocendum prolata; prout plerumque laus propria audita nocet, etiam quando absque animo nocendi dicitur. Præstat ergo potius mereri laudem, quàm audire; laudabilitas enim propria proficua est, laus aliena noxia, & periculosa, saltem propter periculum Vanæ Gloriæ. Laus coram præsentibus dicta, plerumque non laus, sed adulatio est, & sæpe falsa, sæpe ab ipso dicente non credita, rarò sincera; quid nî ergo contemnenda?

PUNCT. III. Dic ergo nobis, quid tibi videtur: Licet dare censum Cæsari, an non? Cognitâ autem JESVS nequitiam eorum, ait: Quid me tentatis Hypocrita? Ostendite mihi numisma censûs. At illi obtulerunt ei denarium. Et ait illis JESVS: Cujus est imago hac, & superscriptio? Dicunt ei: Cæsaris. Tunc ait illis: Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt DEI, DEO. v. 18. Quasi diceret: quia hac inscriptione Cæsaris, in vestra terra cusâ, vos Cæsari subditos fatemini, & quia subiectio etiam homini gentili in rebus Religioni vestræ erga DEVM non adversis præstita, cum subiectione DEO debita non est impossibilis ( ut falsò quidam sibi persuaserant ) ideo reddite tributum, quod Cæsari debetis; vos ipsos verò, qui DEI Imagine insigniti estis, & cui Cultum, Fidemque &c. debetis, reddite DEO cum omnibus, quæ DEO debetis. Hoc responsum tibi cape, & redde, quod DEO, Superioribus, & Proximo debes, & quod tibi ipsi.



## MEDITATIO CCCCIV.

*De Sadduceis negantibus  
Resurrectionem.*

Matth. 22. v. 23. Marc. v. 12. 18. Luc. 20. v. 27.

**P**UNCTUM I. *In illo die accesserunt ad eum Sadducei qui dicunt, non esse Resurrectionem, & interrogaverunt eum &c. (postquam dubitandi rationem de Uxore quapiam, quæ septem viris successivè nupta erat, ei retulissent) In Resurrectione ergo, cuius erit de septem Uxor? Ad quam quæstionem, creditam ab ipis insolubilem, & ad Resurrectionis assertionem erigendam argumentum validissimum, Respondens IESVS, ait illis: Erratis, nescientes Scripturas, neque Virtutem DEI. (illæ enim clarè docent; ista verò, quia Omnipotens est, facilè potest efficere Resurrectionem mortuorum.) In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur: sed erunt sicut Angeli DEI in Cælo. Matth. 22. v. 23. Omnino ergo vilia sunt omnia gaudia carnalia, cum indigna sint Statu Beatorum, qui, quamvis sit Status omnium Bonorum aggregatione perfectissimus, tamen ista non continet; unde ea à Beatis nec obiciuntur, nec appetuntur. Contemne ergo illa gaudia, quorum nec DEVS, infinitè Felix, nec Angeli, nec homines Beati, & Amicissimi DEO, capaces sunt. Et cum in Cælo simus futuri sicut Angeli DEI, studemus jam in terra imitari Angelicam Puritatem.*

**PUNCT. II.** *Neque enim ultra mori poterunt: equalis enim Angelis sunt. Luc. 20. v. 36. Considera rationem; quare Beati in Cælo Neque nubent, neque nubentur.*



tur: Quia finis, ad quem ordinantur Matrimonia, nempe necessitas conservandi Genus Humanum, & loco morientium generandi alios homines, prorsus cessabit, eò quòd in Cælo nemo amplius moriturus fit, neque mori possit; quia omnes erunt æqualiter impassibiles, incorruptibiles, ac immortales, sicut Angeli. Itaque, quemadmodum Beati aspernantur carnis voluptates, tanquam nullam amplius habentes bonitatem ( quia bonitas merè utilis cessat, cessante bonitate finis ) ita & tu easdem aspernare, Spe certa Vitæ Æternæ, & pro obtinenda Vita Æterna; quam Christus illis promittit, *Qui seipso castraverunt propter Regnum Cælorum.* Matth. 19. v. 12. Hi enim neque nubent, neque nubentur, cum ultra mori non possint, & æquales sint Angelis. Vide etiam, quanta sit Dignitas hominis in statu Cælibatûs; de quo enim Pl. 8. v. 6. Regius Vates gloriosè quidem dixerat, Deo gratias pro honore referens: *Minuisti eum paulò minùs ab Angelis: gloriâ & honore coronasti eum:* hunc ad æqualitatem cum Angelis evehit Cælibatus. Qui enim *Neque nubent, neque nubentur* ( ut sunt Cælibes ) *erunt sicut Angeli DEI in Cælo &c.* Matth. 22. v. 30. *Equales enim Angelis sunt.* Luc. 20. v. 36. Unde sicut Angeli carent sensibus, sic omnium sensuum custodiâ & abnegatione, imitandi sunt.

PUNCT. III. *Et Filij sunt DEI, cum sint Filij Resurrectionis.* Matth. 22. v. 36. Hanc alteram causam assignat Christus Matrimoniorum in Cælo tollendorum. Quia Beati sunt Filij DEI per Gratiam Adoptionis, per quam cum Resurrectione ex mortuis, actu obtinebunt perfectam Felicitatem Corporis & Animæ: adeoque etiam secundum corpus fruuntur longè ma-



iori felicitate, quam sint omnes voluptates carnis  
 Unde quemadmodum Filij Regij, Mensæ Regali affi-  
 dentes, fastidiunt & aspernantur vilissimos cibos me-  
 diastinorum, & multo magis brutorum; ita Beati-  
 tanquam Filij DEI & Filij Resurrectionis, Mensæ Pa-  
 tris Cælestis assidentes, nauseant voluptates carnis,  
 & Conjugij carnalis, quibus in hac vita mancipia Dia-  
 boli, & bruta etiam animalia fruuntur, equus, & mu-  
 lus, quibus non est intellectus. Et tu ergo, cum  
 ad Mensam Patris Cælestis jam sis invitatus, serva fa-  
 mem Cælestium Epularum delicijs, neque extinguas  
 eam siliquis porcorum, aut vilissimâ escâ mancipio-  
 rum, & brutorum: sed memor, te esse Filium DEI, &  
 Filium Resurrectionis, id est, habentem Jus ad Re-  
 surrectionem, cum fastidio omnis corporeæ oblecta-  
 tionis dic: Major sum, quam ut Mancipium Corpo-  
 ris mei efficiar.

## MEDITATIO CCCCV.

### *De Mandato Magno in Lege.*

Matth. 22. v. 34. Marc. 12. v. 28.

**P**UNCTUM I. *Pharisæi autem audientes, quod silentio  
 imposuisset Sadducæis, convenerunt in unum: & inter-  
 rogavit eum unus ex eis Legis Doctor, tentans eum: Magi-  
 ster, quod est Mandatum Magnum in Lege? (id est, in Vo-  
 lumine Legis, sive in Libris Moysis, quos Legem voca-  
 cabant) Considera, illos, qui non tentant DEVM, sed  
 qui illi sincerè servire, ac obedire cupiunt, non dis-  
 cutere, quod sit Magnum, quod parvum Mandatum  
 quod graviter & sub mortali, quod leviter & tan-*



tum sub veniali obliget; sed absque discrimine, mox ut Mandatum esse intelligunt, omni diligentia exequi: non enim tam attendendum est, quid mandetur, quam quis mandet, nempe DEVS; DEVS autem Optimus & Maximus est, & semper idem, quidquid mandet. Unde etiam per levem transgressionem Mandati Divini contemnitur Majestas Infinita; tantò autem culpa est major, & pœna majori dignior, quanto major est Persona læsa, ac contemptui habita. Imò homo, *Qui spernit modica, paulatim decidet.* Eccli. 19. v. 1. Et Christo teste Luc. 16. v. 10. *Qui Fidelis est in minimo, & in majori Fidelis est: & qui in minori iniquus est, & in majori iniquus est.* Quia contrahitur inclinatio, & habitus vel ad actum Bonum, vel ad malum; & homo vel meretur, vel demeretur Auxilium Gratia Efficacis. Atque hinc Servus Fidelis laudatur, ac præmiatur, non quia super multa, sed quia super pauca Fidelis fuit: *Euge Serve Bone, & Fidelis, quia super pauca fuisti Fidelis, super multa te constituam, in terra in Gaudium Domini tui.* Matth. 25. v. 23.

PUNCT. II. *JESVS* autem respondit ei: *Quia Primum omnium Mandatum est: Audi Israël, Dominus DEVS tuus, DEVS unus est: & diliges Dominum DEVM tuum ex toto Corde tuo, & ex tota Anima tua, & ex tota Mente tua, & ex tota Virtute tua.* Marc. 12. v. 29. *Hoc est Maximum & Primum Mandatum.* Matth. 22. v. 38. Non DEVM *Vnum* amas, si præter DEVM aliud amas, & non propter DEVM amas; quidquid enim sic amas, DEVM tuum facis. Ideo S. Paulus Philipp. 3. v. 19. de amatoribus voluptatum corporis ait: *Quorum DEVS Venter est.* Et de tali conqueritur DEVS Ezech. 23. v. 35. *Projecisti me post corpus tuum.* Quia ergo DEVS tuus



Unus est, etiam Amor tuus unus ac indivisus sit: propterea ita præcipitur diligendus **DEVS**, ut diligatur *Ex toto Corde tuo*, sive Voluntate, quæ in Corde sedem habet; *Et ex tota Anima tua*, scilicet per omnes operationes Sensuum, ut scilicet omnes has operationes non aliter elicias, quàm in quantum ad **DEVM** referri debent, ac possunt. Hoc sensu S. Paulus i. Cor. v. 2. scripsit: *Non enim iudicavi, me scire aliquid inter nisi JESVM Christum, & hunc Crucifixum.* Non quia non aliquid aliud sciverit, sed quia omnem aliam Scientiam retulit ad Christum Crucifixum amandum, & in aliorum corda inserendum. *Et ex tota Mente tua*, sive Intellectu, ut omnes rerum quarumcunque cognitiones dirigas ad cognoscendum **DEVM**, & amandum. *Et ex tota Virtute tua*, sive Fortitudine tua: quantumcunque Amorem tuum intendere, & in executionem deducere potes. Nec obstat huic uni & indiviso Amori, sic descripto, id, quod additur: *Secundum autem simile est illi: Diliges Proximum tuum, tanquam teipsum.* Marc. 12. v. 31. Nam & teipsum, & Proximum tuum non debes aliter amare, quàm propter **DEVM**; & sic in te, & in Proximo tuo amare **DEVM**.

**PUNCT. III.** *Et ait illi Scriba: Bene, Magister, Veritate dixisti: quia unus est DEVS, & non est alius præter eum. Et ut diligatur ex toto Corde, & ex toto Intellectu, & ex tota Anima, & ex tota Fortitudine: & diligere Proximum tanquam seipsum majus est omnibus Holocaustoribus, & Sacrificiis. JESVS autem videns, quod sapienter respondisset, dixit illi: Non es longè à Regno DEI.* Marc. 12. v. 32. Tantum prodest Sapientia, & intelligentia Legis Divinæ, ut faciat appropinquare Regno DEI. Quia autem servus, qui cognovit Voluntatem



tatem Domini sui, & non facit, vapulabit multis; ideo non sit tibi satis, propè venire ad Regnum DEI, sed studeas insuper illuc pervenire, faciendo & exequendo Voluntatem DEI. Et quidem ad hoc præstandum ipsa tua Sapiëntia, ac Scientia Rerum Divinarum sit tibi incitamento, ut scilicet, quandoquidem non es longè à Regno DEI, omnino in illud subeas progressu duplicis Amoris descripti, ut nimirum nihil facias, vel omittas, quo vel minimum desit perfecto Amori DEI, vel Proximi propter DEVM; sed ut ex toto corde diligas, etiam Veniali Offensâ, quantum fieri potest, omnino exclusâ.

## MEDITATIO CCCCVI.

*Christus hortatur, Phariseorum*

*Doctrinam sequendam, non Mores.*

Matth. 23. v. 1.

**PUNCTUM I.** Tunc *JESVS* locutus est ad turbas, & ad Discipulos suos, dicens: *Super Cathedram Moysi sederunt Scribae, & Pharisei* (id est, Moysi in Dignitate & Potestate docendi, & gubernandi Populum successerunt) *Omnia ergo, quaecunque dixerint vobis* (si contenta in Lege, aut Legi & Honestati non sint contraria; uti sunt ea, quæ hoc capite à v. 16. Christus ipse annotat) *servate & facite: secundum opera verò eorum nolite facere: Dicunt enim, & non faciunt* (multa scilicet, Lege præcepta) *Alligant enim onera gravia & importabilia, & imponunt in humeros hominum* (Legem Divinam strictius interpretando, & admiscendo onera alia, Lege non præcepta) *digito autem suo nolunt ea movere. Nempe*



pe opere & offensione Exempli nolunt ea elevare, & leviora reddere. Duplex his verbis Doctrina continetur; una, quæ maximè congruit turbæ; altera quæ Discipulis, & eorum in prædicando, & regendo Conscientias, Successoribus. Turbæ enim & subditæ servent & faciant, quæ secundum Legem facere jubentur & docentur, etiamsi eorum Doctores & Rectores ea non faciant: sicut viator rectam viam monstratam ingreditur, etiamsi is, qui monstravit, nec præcedat, nec comitetur, sed aliò vadat, vel in loco subsistat. Illi verò, qui alijs præsumunt, docent, aut dirigunt, onera viribus majora non imponant. Jugum Christi suave, & Onus leve non aggravent, non tantum digito, sed & manum in aliorum humeros sublevant, ac bono Exemplo levius reddant; verbis doceant, quid faciendum sit; opere autem id fieri posse demonstrent. Non tantum rectam viam doceant, sed per eam ducant.

PUNCT. II. *Omnia verò opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus. Dilatant enim phylacteria sua (id est, membranulas memoriales sibi faciunt, quibus præcipua DEI Mandata inscripta in brachio sinistro, & in capite ad modum coronæ circumgestantes, Deut. 6. v. 8. mandatam Præceptorum DEI continuam memoriam, & observantiam ostentant) Et magnificant simbrias (eas scilicet, quæ Num. 5. v. 38. ad dictam Præceptorum reminiscenciam in palliorum angulis gestandæ præcipiebantur, Scribæ & Pharisei ex vana ostentatione ampliores gerunt.) Aliam simulationem observantiæ Præceptorum exprobrat Christus. v. 23. *Vobis Scribæ, & Pharisei Hypocrite, qui decimatis mentham, & anethum, & cuminum, & reliquistis, quæ gravio-**



*ra sunt Legis, Judicium, Misericordiam, & Fidem. Hac oportuit facere, & illa non omittere. Duces caci, excolantes culicem, camelum autem glutientes. Va vobis Scribae, & Pharisei Hypocritae: qui mundatis, quod deforis est calicis & paropsidis, intus autem pleni estis rapina & immunditia. Phariseae caece, munda prius, quod intus est calicis & paropsidis, ut fiat id, quod deforis est, mundum. Va vobis Scribae & Pharisei Hypocritae: quia similes estis sepulchris dealbatis, quae a foris parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia. Cum Phariseis membranas phylacteriorum dilatant, & fimbrias magnificant, qui per solos actus externos Praeceptorum Dei observantes videri volunt sine intentione Finis Supernaturalis, & verae Virtutis. Rursum cum Phariseis menthae, anethi, cymini sive vilium herbarum decimas offerunt, qui minutarum rerum observantias curant, & levium transgressionum fugam culicem excolant, velut si per linteum transfundatur vinum; gravissimas tamen Legum transgressiones, velut camelum deglutiant. Calicem & paropsidem exterius purgant, & interiores sordes non abluunt, qui exterius curant a peccatis mundi apparere, interius tamen in Anima peccati maculas nec evitant, nec abluunt: iidem etiam sunt veluti sepulchra dealbata, plena ossibus mortalium peccatorum. Tu ergo omnia opera tua perage ex intentione Virtutis: summo studio evita omne grave peccatum; neque tamen negliges transgressiones veniales. Veris & Solidis Virtutibus Animam exorna, & hoc ipso fiet id, quod deforis est, mundum; nempe interni actus Virtutum in externos transibunt, & interiores Virtutes in exterioribus actionibus relucebunt: & sic se-*



424 *Ab Octava SS. Corp. Christi usque ad Adventum.*  
curus eris ab illa Christi comminatione: *Nisi abunde  
verit Justitia Vestra plus, quam Scribarum & Phariseorum  
non intrabitis in Regnum Calorum.* Matth. 5. v. 20. Quo-  
rum Verborum idem Evangelista hic cap. 23. amplio-  
rem declarationem, & rationem ex Christi ore re-  
fert.

PUNCT. III. *Amant autem primos recubitus in ca-  
nis, & primas cathedras in Synagogis, & salutationes in  
foro, & vocari ab hominibus Rabbi.* Matth. 23. v. 6. Atten-  
de, ne in te, cum sis Religiosus Humilitatem profi-  
tens, ullum præcedentiæ, humanorum obsequiorum  
& inanium titulorum desiderium exurgat: sed idem  
tibi & Discipulis Christi dictum existima: *Vos autem  
nolite vocari Rabbi* (sive Doctores, aliquid gloria ex  
hoc titulo vobis tribuentes, & in eo complacentes  
sed omnem gloriam in eum refundite, cui hujusmo-  
di tituli, tanquam Causæ Principali, præcipue com-  
petunt) *Vnus est enim Magister vester, omnes autem vos  
Fratres estis. Et Patrem nolite vocare vobis super terram  
unus est enim Pater vester, qui in Calis est.* (Cujus ratio-  
nem, proximè insinuatam, indicat S. Paulus, Ephel. 4.  
v. 15. dicens: *Ex quo omnis Paternitas in Calis & in Terra  
nominatur*) *Nec vocemini Magistri* (qui titulus præ  
titulo Rabbi aliquam quasi in discipulos Jurisdictionem  
& Gubernationem superaddit) *Quia Magister vester  
unus est Christus.* Unde, ut quàm minimum de hujus-  
modi titulorum & officiorum gloria vobis tribuatis:  
*Qui major est vestrum, erit Minister vester.* Matth. 23.  
v. 8. Non itaque ad recipiendum honorem, sed  
conferenda in alios obsequia, officia altiora admi-  
tenda sunt: annexus autem honor, obsequia, præce-  
dentiæ dignitas, titulorum vanitas, contemni debent  
à Discipulis & Servis Christi.

MEDI



## MEDITATIO CCCCVII.

*Pergit Christus Pharisaorum Mores  
insectari. Matth. 23.*

**PUNCTUM I.** *Ecce ego mitto ad vos Prophetas & Sapientes, & Scribas, & ex illis occiditis, & crucifigitis, & ex eis flagellabitis in Synagogis vestris, & persequemini de civitate in civitatem. Matth. 23. v. 34.* Postquam Christus Scribarum, Pharisaorum, & Principum urbis Hierosolymitanæ occulta crimina, Hypocrisin, & Superbiam reprehenderit, exprobravit ipsis etiam publicam crudelitatem, in antiquos Prophetas exercitam ab eorundem Majoribus, atque ab ipsis adhuc exercendam in Evangelicos Præcones, quos Prophetas, Sapientes, & Scribas appellavit propter officium prædicandi, docendi, & Scripturas interpretandi. Si etiam tu es inter eos, quos Christus mittit ad procurandam Salutem Animarum, aliud nihil tibi pollicearis, quam labores, persecutiones, ingrattudines &c. Et SS. Apostolorum ac Martyrum Fortitudinem ac Patientiam imitandam tibi propone; præsertim quia ipse Christus non aliter missus est à Patre suo: unde seipsum etiam Discipulis suis in Exemplum proposuit, dicens: Joan. 20. v. 21. *Sicut misit me Pater, & Ego mitto vos.* Inter eos verò, qui à Christo missos Animarum Curatores persequuntur, ne esto: sunt autem inter eos, qui admonitiones, correctiones, reprehensiones iniquo animo ferunt, & odium, querelas, murmurationes, detractiones, aspera verba per ingrattudinem rependunt. Imò Origenes Hom. 23. in Nume-



ros inquit: *Et ego hodie si Propheta non audiam verba, monita eius spernam, lapido Prophetam, & quantum in me est, occido, cuius tanquam mortui verba non audio.*

PUNCT. II. *Vt veniat super vos omnis Sanguis Iustus, qui effectus est super terram, à sanguine Abel Iusti, usque ad sanguinem Zachariæ, Filij Barachia (qui, teste Hieronymo, etiam hoc nomine appellabatur, quamvis aliàs fuerit Joiadas dictus) quem occidistis inter Templum & Altare. v. 35. quem nempe Rex Joas impiè occidit in atrio Sacerdotum, quod erat inter Templum, & inter Altare Holocaustorum (Alij tamen etiam non improbabiler putant, Zachariam istum occisum, fuisse patrem S. Joannis Baptistæ) Ex hac comminatione colligitur, quomodo DEVS vindicet injurias, Sanctis suis illatas. Unde vindictam, illorum exemplo, DEO relinque, & ab illis disce, etiam pro persecutoribus cum S. Stephano lapidato, & Jacobo ex pinna Templi Jerosolymitani præcipitato, & cum ipso Christo Crucifixo DEVM orare. Colligitur etiam, DEVM Patrum delicta in filijs punire, quando illorum exemplum secuti, mensuram statutam sceleribus suis implent. Unde Christus per exprobratoriam quasi permissionem v. 32. Judæis dixerat: *Et vos impleas mensuram Patrum vestrorum. Verùm tu non impleas mensuram, quam DEVS pro tota aliqua Communitate punienda constituit; sed potius meritis & precibus tuis DEVM toti Communitati, in qua degis, propitium reddas.**

PUNCT. III. *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt, quoties volui congregare Filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? Ecce relinquetur vobis do-*



*mus vestra deserta* ( id est , Templum vestrum , imò to-  
 ta Urbs , quæ domui comparatur ) *Dico enim vobis : non*  
*me videbitis amodo , donec dicatis : Benedictus , qui venit in*  
*Nomine Domini* , id est , ( ut locum hunc explicat S.  
 Chrysoft. S. August. Theophylactus , Euthymius ,  
 quos sequitur Cornelius à Lapide in Matth. c. 23. in  
 fine ) ab eo tempore , quo post triduum à vobis per  
 Mortem auferar ( hæc enim dicta sunt die Martis post  
 Dominicam Palmarum ) non me videbitis usque ad  
 extremum diem Judicij , ubi verè agnoscetis , me esse  
 illum Benedictum , qui venit in Nomine Domini , &  
 ut talem inviti fatebimini , quando in Nomine meo  
 etiam flectentur genua Infernorum . Sic à DEO de-  
 feruntur , & Auxilijs Efficacibus destituuntur , qui Vo-  
 cationem ad Vitam meliorem , & specialibus Favori-  
 bus , ac Divina Protectione dignam negligunt . Con-  
 trà , si DEO vocanti , ac Divinis Inspirationibus pareas ,  
*Scapulis suis obumbrabit tibi , & sub pennis ejus sperabis.*  
 Ps. 90.

## MEDITATIO CCCCVIII.

### *De Muliere offerente duo minuta.*

Marc. 12. v. 41. Luc. 21. v. 1.

**PUNCTUM. I.** *Et sedens JESVS contra Gazophylactum*  
*aspiciebat , quomodo turba jaclaret as in Gazophylaci-*  
*um.* Marc. 12. v. 41. Sic DEVS Pater , & Christus Do-  
 minus è Cælo spectat , quid & quantum Bonorum  
 Operum singuli ad communem Ecclesiæ Thesaurum  
 conferant . Sufficiat tibi iste Spectator , videns in ab-  
 sccondito , & iste Æstimator Meritorum , qui Benefi-  
 cia



cia in hac vita, & Præmia in altera ſecundùm cuius  
que erga DEVM liberalitatem proportionatâ munifi-  
centiâ retribuet: unde nec alium cupias, nec in offe-  
rendo parcus ſis.

PUNCT. II. *Et multi divites jaçtabant multa.* Cum  
veniffet autem Vidua una pauper, miſit duo minuta, quod  
eſt quadrans ( id eſt: quarta pars parvi aſſis, apud  
Crucigeri appellati ) ibidem. Ecce! licet divites mul-  
ta obtulerint, non dicuntur ea tamen obtuliſſe, ſed  
jaçtaſſe; quia cum impetu & clangore projiciebant  
in Gazophylacium, divitiarum & liberalitatis vanam  
gloriam aucupantes, & ſemetipſos jaçtantes: mulier  
Vidua autem duo minuta cum ſilentio & Humilitate  
leniter immiſit: & ideo ipſius liberalitas deinde divi-  
tum liberalitati à Chriſto præfertur, & duo minuta  
DEO miſiſſe, ſive dediſſe dicitur. Sic etiam ſi multi  
multa egregia opera, & Virtutum actiones externas  
præſtent, quia tamen eadem opera ſua laudando,  
vel laudem humanam quærendo, jaçtant, à Deo Pa-  
tre & Chriſto Domino exiguam laudem & remunera-  
tionem merentur, & nec duobus minutis, ſive ter-  
narijs, id eſt, leviffimis Virtutum actionibus, cum  
Humilitate & ſyncera Intentione factis, æquiparantur.  
Tu ergo noli tua Opera Bona in Eccleſiæ Ga-  
zophylacium jaçtare, ſed mitte ea leni cum ſilentio  
ac Humilitate. Nec vilipendas exigua opera, ſi ea  
præſtandi occaſio tibi ſe offert; nec alios propter  
præſtita contempnas: quin potiùs eisdem hanc ipſam  
ob cauſam tibi præferas, quamvis majora præſtare ti-  
bi fortè videaris; ſicut divites multa jaçtantes, rectè  
tamen ſibi prætuliffent Viduam, duo minuta mitten-  
tem.

PUNCT.



PUNCT. III. *Et convocans Discipulos suos, ait illis: Amen dico vobis, quoniam Vidua hæc pauper plus omnibus misit, qui miserunt in Gazophylacium. Omnes enim ex eo, quod abundabat illis, miserunt; hæc verò de pecunia sua omnia, quæ habuit, misit totum victum suum. v. 43. Vide, quanti æstimaverit Christus duo minuta, cum vera Humilitate, & erga DEVM liberali Charitate oblata: ipse enim non pensat censum, sed affectum; nec curat quantum, sed ex quanto affectu offeratur. Ideo ergo convocans Discipulos, prædicavit eis Viduæ liberalitatem, & eam omnibus divitibus prætulit. Tali ergo Affectu, Humili & Liberali, nihil sibi reservante, offer DEO duo minuta, Intellectum & Voluntatem, Corpus & Animam, Bona interna & externa: singula enim duo minuta sunt comparatione ejus Majestatis, cui offeruntur; & comparatione Beneficiorum DEI, ac priorum peccatorum, pro quorum Gratiarum actione, & satisfactione offeruntur; & comparatione Cælestium Præmiorum, quæ retribuuntur. Ex prædictis Verbis Christi Domini etiam colligitur, minus æstimari à DEO præclaras functiones, ex propria Voluntate sibi reservatâ profectas, quàm levissimas & vilissimas functiones, ex omnimoda Abnegatione proprii Judicij ac Voluntatis provenientes.*

## MEDITATIO CCCCIX.

*Christus Eversionem Templi  
præannunciat.*

Matth. 24. v. 1. Marc. 13. v. 1. Luc. 21. v. 5.

PUNCTUM I. *Et egressus IESVS de Templo ibat. Et accesserunt Discipuli ejus, ut ostenderent ei ædificationem Templi.*



Templi, Matth. 24. v. 1. *Et quibusdam dicentibus de Templo, quod bonis lapidibus & donis ornatum esset. Luc. 21. v. 5. Ait illi unus ex Discipulis eius: Magister, aspice quales lapides, & quales structura. Et respondens IESUS ait illi: Vides has omnes magnas edificationes? Non reliquetur lapis super lapidem, qui non destruat. Marc. 13. v. 1. Considera 1. quàm nihil in hoc Mundo stabile ac firmum sit, etiamsi solidissimo lapide structum videatur. Nihil ergo terrenum inordinate amandum, nihil hinc diuturnum ac firmum sperandum.*

PUNCT. II. Considera 2. quid in sensu morali per Templum Jerosolymitanum designetur: potest enim per illud intelligi Templum DEI Vivum, scilicet ipse homo: cujus partes, & structura partium longè admirabilior est, quàm lapides, & structura Templi Jerosolymitani. Unde illa merito in æstimationem & Venerationem sui Autoris te ducat. Simul tamen memineris, per certissimam & celerem mortem non relinquendum lapidem super lapidem, qui non destruat. In eodem verò Templo ostendi potest aliud longè magis admiranda structura, & Ædificium Spirituale, quo homo per Gratiam, & Habitus Virtutum Supernaturales dignum DEI Habitaculum efficitur. Hujus ergo Templi interitum ac ruinam sive in propria, sive in Proximi personâ omni modo impedire nitamur cavendo & restaurando; hoc enim possumus: illud autem Templum Jerosolymitanum servare Apostoli, commiseratione moti, non potuerunt.

PUNCT. III. Considera 3. quantum Templum Jerosolymitano, quantumvis bonis lapidibus, donisque ornato, & structurâ eximio, præferendum sit Templum DEI, quod per Jerosolymitanum præfiguratur.



ratur, ac ex vivis & electis lapidibus constructum est, nempe tota Ecclesia, vel Ordo tuus Religiosus; contra quod Templum portæ Inferi non prævalebunt. Considera ergo, quàm boni in eo sint Lapidés, id est, Sancti Homines, qualia DEI Dona & Ornamenta, quàm ordinata & firma Structura, per unionem & subordinationem Charitatis ac Obedientiæ, atque per alias Solidas Virtutes, ac Sanctissimas Leges constabilita. Itaque etiam tibi gratulare, teque ipsum exhortare illis Apostoli Verbis. Ephes. 2. v. 19. *Jam non estis hospites & advenæ: sed estis Cives Sanctorum, & Domestici DEI: Superædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, ipso summo Angulari Lapide Christo IESU: in quo omnis ædificatio constructa crescit in Templum Sanctum in Domino: in quo & Vos coædificamini in Habitaculum DEI in Spiritu.*

## MEDITATIO CCCCX.

*Christus prædicit signa Judicij.*

Matth. 24. à v. 3. Marc. 13. v. 3. Luc. 21. v. 7.

**PUNCTUM I.** *Et cum sederet in monte Olivarum contra Templum, interrogabant eum separatim Petrus & Iacobus, Ioannes & Andreas: Dic nobis, quando illa fient? (quæ paulò antè in itinere de interitu Templi prædixisti) & quod Signum erit, quando hæc omnia incipient consummari? Marc. 13. v. 3. Et quod Signum Adventus tui, & consummationis Saculi? Matth. 24. v. 3.* Considera, Christum pro Signo consummationis sæculi Discipulis suis, totam Ecclesiam ibi repræsentantibus, recensuisse communes totius Mundi, & particul;



ticulares Fidelium calamitates, nempe prælia & op-  
 niones præliorum, seditiones, terræ motus, pesti-  
 lentiam, famem, terroresque de Cælo: Ipsorum eti-  
 am Apostolorum & Martyrum captivitatem, fla-  
 gella, mortem &c. Dixit enim Luc. 21. v. 9. *Cum*  
*autem audieritis prælia, & seditiones, nolite terri:* opo-  
*ret primum hæc fieri, sed nondum statim finis. Tunc dicet*  
*illis: Surget Gens contra Gentem, & Regnum adversus Re-*  
*gnum. Et terra motus magni erunt per loca, & pestilentia,*  
*& fames, terroresque de Cælo, & Signa magna erunt. Sed*  
*ante hæc omnia injicient vobis manus suas, & persequentur*  
*&c.* Voluit autem DEVS & consummationi Sæculi  
 universali, & consummationi hominum in particu-  
 lari, hujusmodi plura adversa præmittere, & Chri-  
 stus prædicere, ne homines bonis terrenis adhere-  
 scerent, & Cælestia contemnerent; sed ut potius cu-  
 perent dissolvi, & esse cum Christo. Deinde, ut futu-  
 rorum adversorum præscij, ad Patientiam, & animi  
 Fortitudinem se præpararent, & actuali eorum per-  
 pessione alterius Vitæ promeritas pænas minuerent,  
 & Præmia augerent. Hunc ergo fructum & tu ex  
 Christi Sermone refer: qui tantò altius animum tuum  
 penetret, & fortius moveat, quòd coram quatuor  
 amantissimis Discipulis, tali tempore, nempe uno tan-  
 tum adhuc biduo, suam Mortem ac Passionem ante-  
 cedente, in monte Oliveti, ubi Christus Passionem  
 acerbissimam postridie erat inchoaturus, & unde pau-  
 lò post ad Cælestia Præmia erat ascensurus, fuerit  
 prolatus. Ut proinde hujusmodi adversa à Dilectis-  
 simis etiam DEI Servis, Christo Exemplo suo mo-  
 præunte, & ad Cælestia Præmia invitante, nove-  
 ris sustinenda.



PUNCT. II. *Ego dabo vobis os, & Sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes adversarij vestri.* Luc. 21. v. 15. *Et capillus de capite vestro non peribit.* v. 18. Ne multitudine adversorum, & adversariorum terreamur, promittit Christus nobis suum Auxilium, ut verbis & factis sapienter nos geramus; & Protectionem, ut sine ipsius Providentia ac permissione nec minimum malum nobis inferatur. Hac itaque Fidia & Spe nosmet muniamus, & solemur contra omnia adversa, & adversarios.

PUNCT. III. *Et quoniam abundavit iniquitas, refrigeret Charitas multorum: Qui autem perseveraverit usque in finem, hic Salvus erit.* Matth. 24. v. 12. *In Patientia vestra possidebitis Animas vestras.* Luc. 21. v. 19. Hæc duo inter hujus Mundi adversitates observanda monuit Christus in suo Vaticinio, Perseverantiam in fervore Charitatis, ne malis aliorum exemplis intepescamus; & Patientiam, ut Animæ nostræ dominium, & possessionem retineamus, & ejus Salutem consequamur; nec illam perdamus, aut detrimentum illius patiamur.

## MEDITATIO CCCCXI.

### *Continuatio ejusdem Argumenti.*

Matth. 24. v. 15. Marc. 13. v. 14.

Luc. 21. v. 20.

PUNCTUM I. *Cum ergo videritis abominationem Desolationis (id est, abominabilem Desolationem; Lucas ait: cum autem videritis circumdari ab exercitu Ierusalem tempore Titi & Vespasiani) qua dicta est à Daniele*

E e

Pro-



*Propheta.* (c. 9. v. 27. Et quæ est Typus ac Imago timæ Desolationis, ac devastationis non solum Jerusaleem, verum etiam totius Mundi, cujus Apostoli hic Signum à Christo petierant, & ad quam proinde ipse etiam Christus sermonem suum, velut ad ultimum suum scopum dirigit, & quæ etiam à Daniele, per Jerusalem devestationem Judæis prænunciatam, allegoricè prædicta est) *stantem in Loco Sancto* (nempe in Templo, & in Sancta Civitate, & tandem in universa DEI Ecclesia) *Tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes, & qui in tecto, non descendant tollere aliquid de domo sua: & qui in agro, non revertatur tollere tunicam suam* Matth. 24. v. 15. Quibus verbis docet Christus, quod non solum oculis corporis, sed etiam oculis mentis, visa devestatione urbis & orbis, faciendum sit: cum ergo illam meditatione prævideris, fuge ad montes nempe ad loca sublimia & tuta, id est, ad Virtutum in hac vita conscendendarum fastigia, ad Sanctorum in Cælo degentium Patrocinia, ad Christi in montibus Oliveti & Calvariæ Merita & Exempla. Ne autem finas animum ad altiora jam evectum, ad interiora rerum terrenarum amore rursus descendere, & ad tunicam pravæ consuetudinis assumendam redire.

**PUNCT. II.** *Væ autem prænantibus, & nutriendis in illis diebus.* Matth. 24. v. 19. Quia istæ parturitionis, vel non ad lucem edere, vel editum non ad maturitatem & perfectionem perducere poterunt. Considera, per hanc comminationem designari illos, qui solum propositum Pænitiæ conceperunt, & solummodo imperfectam, nec ad Justificationem sufficientem egerunt, magis adhuc perficiendam, & nutriendam. Itaque tu bona proposita, quæ quæ



prægnans circumfers, non differ, nec imperfecta Virtute, præsertim Pænitentia, ad Justificationem necessaria, contentus esto.

PUNCT. III. *Orate autem, ut non fiat fuga vestra in hyeme, vel Sabbato.* v. 20. Illorum autem fuga fit in hyeme (quando itinera nivibus sunt præpedita) vel in Sabbato (quo non licuit apud Judæos ultra septingentos passus iter facere) qui vel in seram senectam, vel ad mortem usque, quæ potestatem bene operandi tollit, emendationem suam differunt. Itaque *Dum tempus habemus, operemur bonum.* Galat. 6. v. 10.

## MEDITATIO CCCCXII.

### *Continuatio ejusdem Argumenti.*

Matth. 24. v. 29. Marc. 13. v. 24.

Luc. 21. v. 25.

PUNCTUM I. *Statim autem post tribulationem dierum illorum* (futuram paulò ante Extremam Diem Judicij, ad quam rectius refertur particula *Statim*, quam ad devastationem Jerosolymitanam) *Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & Stella cadent de Cælo, & Virtutes Cælorum commovebuntur.* Matth. 24. v. 29. Idem his verbis refert S. Lucas c. 21. v. 25. *Erunt Signa* (prodigiosa, & prænumcia venturi Judicis) *in Sole, & Luna, & in terris pressura gentium præ confusione fontis maris, & fluctuum: arescentibus hominibus præ timore, & expectatione, quæ supervenient universo orbi: nam Virtutes Cælorum movebuntur: quia amittent suam vim agendi, & influendi in corpora terrestria; & Astra amittent suum splendorem; quod idem est, ac Stellæ*  
E e 2  
cadent



436 *Ab Octava SS. Corp. Christi usque ad Adventum,*  
cadent de Cælo. Considera, hæc non tantum dici ad  
terrorem eorum, qui tunc temporis victuri sunt; sed  
etiam ad nostrum, ut nunc tam tremendum aliquan-  
do venturum Judicem nobis per Emendationem Vir-  
tutis, & per Opera Satisfactionis placemus, ne, si hæc  
irati Numinis signa sunt edenda in creaturis inanimatis,  
quæ Divinam Voluntatem planè in omnibus  
executæ sunt, longè magis edantur in Anima nostra,  
quæ Voluntati Divinæ sæpe adversata est.

PUNCT. II. *Et tunc parebit Signum Filij hominis in*  
*Cælo.* Matth. 24. v. 30. Unde Ecclesia in officio S. Cru-  
cis canit: *Hoc Signum Crucis erit in Cælo, cum Dominus*  
*ad judicandum venerit.* Quanto solatio aspicient hoc  
Signum Amatores Crucis, qui baiulaverunt Crucem  
suam quotidie; imò qui Christo confixi sunt Crucem!  
Quàm terribile erit inimicis Crucis Christi, quibus  
fuit stultitia & scandalum!

PUNCT. III. *Et tunc videbunt Filium Hominis, ve-*  
*nientem in nube cum Potestate magna & Majestate.* Luc.  
21. v. 27. Hoc Adventu gaudebunt Justi, quia tunc  
maximè implebitur Vaticinium Isaia 62. v. 11. *Ecce*  
*Dominus auditum fecit in extremis terræ, dicite Filia Sion*  
*(Ecclesiæ Triumphanti, vel cuius Animæ Beatae)*  
*Ecce Salvator tuus venit: ecce Merces ejus cum eo, & Opus*  
*ejus coram illo.* Et illud Apoc. 22. v. 12. *Ecce venio cito,*  
*& Merces mea mecum est, reddere unicuique secundum O-*  
*pera sua.* Contrà eodem Adventu terrebuntur impij,  
quia altera Prophetia implebitur Apoc. 6. v. 15. *Et*  
*Reges terræ, & Principes, & Tribuni, & divites, & ser-*  
*ves, & omnis servus, & liber, absconderunt se in speluncis,*  
*& in petris montium, & dicunt montibus, & petris: Cade*  
*super nos, & abscondite nos à Facie sedentis super Thronum*



Et ab Ira Agni : quoniam venit Dies Magnus ire ipsorum. Et quis poterit stare ? Beati itaque videbunt Filium hominis Venientem in nube : & nubes lucida obumbrabit eos, sicut Discipulos Christi in monte Thabor. Matth. 17. v. 5. quia erit nubes protegens. Reprobi verò videbunt Venientem in nube, sed fulgurante. Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & paret usque in Occidentem, ita erit Adventus Filij hominis. Matth. 24. v. 27. Videbunt eum etiam venientem Cum Potestate magna : quia Potest & Animam, & Corpus perdere in Gehennam. Matth. 10. v. 28. Et Majestate, qua tremefacti exclamabunt : **DEVS** Majestatis insonuit. Pl. 28. v. 3. Tu itaque nunc time hanc venturi Judicis Potestatem & reverere, ac ama Majestatem, quia nunc Timor salubris, & Reverentia meritoria est ; ut dici possit : **Ecce Rex tuus venit tibi Mansuetus.** Matth. 21. v. 5.

## MEDITATIO CCCCXIII.

*Continuatio eiusdem Argumenti.*

Matth. 24. v. 36. Marc. 13. v. 32.

Luc. 21. v. 34

**PUNCTUM I.** De Die autem illo, vel horà nemo scit, neque Angeli in Cælo, neque Filius, nisi Pater. Marc. 13. v. 32. (His verbis Christus non negat, scire se tempus, aut Diem futuri Judicij; sed id tantum affirmat, se Scientiam illam non aliunde, quàm à Cælesti Patre accepisse, nec alijs eam communicare statuisse : solus enim Pater eam habet à se, & illam communicat Filio : Pater enim diligit Filium, & omnia demonstrat ei. Joan. 5. v. 20. Uterque autem eam communicat Spiritui

Ee 3                      Sancto ;



Sancto; & non expedit ulterius revelari ulli alij, saltem in hac vita, neque unquam revelata est.) Sicut autem nemo scit diem vel horam Universalis Judicij, ita etiam communiter nemo scit diem vel horam Particularis Judicij: sed sicut a vicula, ignara laquei sibi structi, subito illo captam se deprehendit, sic dies & hora Judicij Universalis & Particularis *Tanquam laqueus superveniet in omnes, qui sedent super faciem merra.* Luc. 21. v. 34. Hinc autem ipse Christus hanc Doctrinam infert: *Ideo & vos estote parati, quia, quâ nescitis horâ, Filius Homini venturus est.* Matth. 24. v. 44.

PUNCT. II. Quomodo autem nos parare debeamus, ulterius docet Christus Luc. 21. v. 34. *Attendite autem vobis, ne fortè graventur Corda vestra (id est Conscientiæ vestræ) in crapulâ, & ebrietate, & curis huius vitæ.* Est autem crapula & ebrietas, tanquam determinatum peccatum, pro quovis indeterminato posita. Itaque pro Præparatione ad mortem duo vitanda sunt: Nempe omne peccatum, & omnes curæ temporales; ac omnis cura nostra eò ultimatè tendere debet, ut digni habeamur Vitâ Æternâ.

PUNCT. III. Præter duo, quæ vitanda sunt, duo etiam præstanda monet Christus. Marc. 13. v. 33. *Videte, vigilate, & orate: nescitis enim, quando tempus sit: sive: Quia nescitis, quâ horâ Dominus vester venturus sit.* Matth. 24. v. 42. Orandus itaque DEVS est, ut det Gratiam Perseverantiæ, ne unquam labaris in grave peccatum: & vigilandum contra omnes insidias Diaboli, & contra omnia pericula, præsertim sensuum externorum, ne per eos, tanquam per totidem januas intret peccatum. Ideo Christus Marc. 13. v. 34. id similitudine declarat: *Quia ipse venturus est, Sicut ho-*



mo, qui peregrè profectus reliquit domum suam, & dedit  
 servis suis potestatem cujusque operis, & Janitori (Volun-  
 tati, quæ præest portis sensuum) præcepit, ut vigilet.  
 Vigilate ergo (nescitis enim, quando Dominus domus veniat:  
 serò, an medea nocte, an galli cantu, an manè) ne cum vene-  
 rit repente, inveniatur vos dormientes. Quod autem vobis  
 dico, omnibus dico: Vigilate.

## MEDITATIO CCCCXIV.

### Parabola de Decem Virginibus.

Matth. 25. v. 1.

**PUNCTUM I.** Tunc (quando Filius Hominis ventu-  
 rus est ad Judicium) simile erit Regnum Cælorum decem  
 Virginibus (id est, universus Cætus hominum, optan-  
 tium admitti in Regnum Cælorum, similis erit decem  
 Virginibus) quæ accipientes lampades suas (ipsas earum  
 Animas intellige) exierunt obviam Sponso & Sponse  
 (Christo & Ecclesiæ Triumphanti, vel potius Filio  
 DEI desponsato, & copulato Humanitati suæ) quinque  
 autem ex eis erant fatuæ, & quinque Prudentes (id est,  
 magna pars ex eis) sed quinque fatuæ acceptis lampadibus  
 non sumpserunt oleum secum: Prudentes verò acceperunt o-  
 leum in vasis suis cum lampadibus. Nempe vasa lutea por-  
 tantes corporis sui, oleum Bonorum Operum, & Me-  
 ritorum Gratia Justificantis secum acceperunt in hac  
 vita, quo Animarum suarum lampades repletas gere-  
 bant, quando Sponso venienti occurrebant, corpori-  
 bus post mortis dormitionem resumptis. Hanc Pru-  
 dentium Virginum Prudentiam imitare, & ex fatua-  
 rum Virginum damno, ac imprudentiâ sapere disce.

Ee 4

PUNCT.



PUNCT. II. *Moram autem faciente Sponso, dormitaverunt omnes, & dormierunt. v. 5. Quamprimùm enim homo concipitur in utero materno, incipit mori, & dormitat; dormit verò, dormitione mortis, cum moritur. Sic Christus de Lazaro mortuo dixit Joan. II. v. II. Lazarus amicus noster dormit: sed vado, ut à somno excitem eum.* Postquam ergo omnes dormitaverunt, & dormierunt, nempe postquam impletum est illud Divinum Decretum Hebr. 9. v. 27. *Statutum est omnibus hominibus semel mori, post hoc autem Judicium; venit Sponsus, nempe Christus, instituturus Judicium Universale.* Hic considera, non frustra verbo *Dormitaverunt* præmissum esse verbum *Dormitaverunt*, ut scilicet, cum Vita nostra aliud nihil sit, quàm Dormitatio, si-ve inchoatio mortis, omnes voluptates, honores, & commoda vitæ mortalis, si-ve mortis inchoatæ contemnamus, & tanquam somnia inania Dormitationis ducamus. In Sensu Morali etiam per Dormitationem designatur Tepiditas, quæ Prudentibus quoque Virginibus, nempe Justis non rarò obrepit; inde autem sæpe in gravem somnum ac somnolentiam prolabuntur, ita ut ad hujusmodi Virginum multitudinem denotandam in sensu quodam accommodo dici possit: *Dormitaverunt omnes, & dormierunt.* Tu itaque ab hujuscemodi Dormitatione, & Dormitione exciteris illâ Sapientis adhortatione Proverb. 6. v. 9. *Uquequò piger dormies? quando consurges è somno tuo? paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conferes manus, ut dormias: & veniet tibi, quasi viator, egestas, & pauperies, quasi vir armatus. Si autem impiger fueris, veniet ut fomes messis tua, & egestas longè fugiet à te.*

PUNCT. III. *Media autem nocte clamor factus est*  
(quando



(quando nempe omnes somnus mortis oppressit, & Angeli tubis cecinerunt: Surgite Mortui, venite ad Judicium) *Ecce Sponsus venit: exite obviam ei.* Matth. 25. v. 6. Considera, hujusmodi clamorem non tantum fieri ante Judicium Universale, sed etiam ante Judicium Particulare. Quotiescunque enim tibi ingeritur memoria Mortis, & Judicij Particularis, toties fit clamor: *Ecce Sponsus venit.* Exire autem obviam ei, idem est, ac ad Mortem & Judicium promptum & paratum procedere. Itaque cum Prudentibus Virginibus exi obviam Ei.

## MEDITATIO CCCCXV.

*Continuatio Eiusdem Parabola.*

Matth. 25.

**PUNCTUM I.** *Tunc surrexerunt omnes Virgines illae, & ornauerunt lampades suas* (id est, Animas suas resumptis corporibus in Resurrectione) *farinae autem Sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostrae extinguuntur.* à v. 7. Sine oleo enim Gratiae Iustificantis (ad quam alludit S. Paulus 2. Cor. 1. v. 21. inquit: *Qui unxit nos DEVS, qui & signavit nos, & dedit pignus Spiritus in Cordibus nostris*) Fides & Opera Bona sunt veluti lychnus, qui modò extinguitur. Unde illorum lampades extinguuntur, quorum Animae Fidem quidem & quaedam Opera Bona habent, sed Gratiam non habent. Esto ergo velut Lucerna ardens & lucens, in qua Fides & Opera Bona oleo Gratiae nutriuntur, & splendorem ac æstimationem eorum Deo accipiunt. Illorum etiam lampades extinguuntur.

E e 5

tinguun-



tinguuntur, qui pro Bonis suis Operibus, intentione vanæ gloriæ peractis, in hac vita receperunt mercedem suam, oleum & operam perdentes. Ideo S. Gregor. Homil. 12. in Evang. inquit: *Ecce enim Redemptoris voce decem Virgines, & omnes dicuntur Virgines, & tamen intra Beatitudinis januam non omnes sunt receptæ: quia earum quædam, dum de Virginitate sua gloriam foris expetunt, in vasis suis oleum habere noluerunt.*

PUNCT. II. *Responderunt Prudentes, dicentes: Ne fortè non sufficiat nobis, & vobis, ite potiùs ad vendentes, & emite vobis. Dum autem irent emere, venit Sponsus: & quæ paratæ erant, intra verunt cum eo ad Nuptias, & clausa est janua, v. 9.* Considera, quidquid olei aut Gratiæ Sanctificantis in hac vita tibi comparare neglexeris, in altera neque per alienam liberalitatem, neque per propriam diligentiam, neque per Divinam Misericordiam reparari posse. Itaque noli in alienis Meritis, Patrocinio, Satisfactione, vel Suffragijs pro Defuncto persolvendis, confidere; noli Pænitentiam, & Bonorum Operum studium differre; nisi enim bene agere velis, cum poteris, non poteris, cum voles. Noli de Divina Misericordia præsumere; sed ad eam accede, quando aperta est janua, non cum jam est clausa.

PUNCT. III. *Novissimè verò veniunt & reliquæ Virgines, dicentes: Domine, Domine, aperi nobis. At ille respondens, ait: Amen dico vobis: Nescio vos. v. 11.* Ecce non sufficit, verbis Dominum profiteri, sed ut id ipsum factis præstemus, necesse est. Unde, qui eum factis negant, vicissim ignorantur, & non agnoscuntur pro Servis à Domino. Meritò etiam illi clausa janua non aperitur, qui Deo ostium Cordis sui sæpe occlusit, &



& stanti ante ostium, ac pulsanti non aperuit. Tu ergo, quandoquidem sæpe clamantem audis: *Aperi mihi Soror mea, Amica mea, Columba mea, Immaculata mea, quia Caput meum plenum est rore, & Cincinni mei guttis noctium.* Cant. 5. v. 2. Fac, ut dicere possis: *Surrexi, ut aperirem Dilecto meo, &c. Pessulum ostij mei aperui Dilecto meo &c. v. 5. & 6.*

## MEDITATIO CCCCXVI.

### *Parabola de Divisione Talentorum.*

Matth. 25. v. 14.

**PUNCTUM I.** Sicut homo peregrè proficiscens, vocavit servos suos, & tradidit illis bona sua. Considera, quomodo DEVS etiam te vocaverit, quàm suaviter, quàm efficaciter, & quanta tibi Bona tradiderit, id est, Media, & Auxilia ad ingentia Merita, ac Lucra Spiritualia tibi comparanda. Expende etiam, quàm liberaliter DEVS Servis suis Bona sua dividat, tribuens singulis, prout vult, non prout obligatur: unde contentus esse debes illis Bonis, quæ tibi tradidit; nec affligi, si quæpiam non tradidit: Dominus enim est, & de suis Bonis disponere potest, prout ipse vult. Unde *Vni dedit quinque Talenta, alij autem duo, alij verò unum, unicuique secundùm propriam Virtutem.* Ex ultimis tamen verbis collige, DEVM in distribuendis suis Bonis attendere Servorum suorum *Propriam Virtutem*, nempe capacitatem, & dignitatem; unde nihil supra vires eorum ipsis committit, & simul etiam fervorum suorum dispositionem ac Merita exigit: quamvis enim primam Gratiam & multa Bona tribuat sine proprijs Meritis,




Meritis, ad multa tamen Bona tribuenda praequirunt propriam hominis dispositionem ac Merita. Stude ergo, ut dignus fias accipere quinque Talenta, & amulare Charismata meliora.

PUNCT. II. *Abiit autem, qui quinque Talenta acceperat, & operatus est in eis, & lucratus est alia quinque. Similiter & qui duo acceperat, lucratus est alia duo. Sic quantum plura à DEO Talenta accepisti, tantum majorem conatum, & industriam debes adhibere ad faciendum majus lucrum: ipsaque Domini tui erga te liberalitas ad id incitamento tibi esse debet. Attamen, si minora & pauciora Talenta accepisti, noli animo deijci; Dominus enim contentus est, si quis Talents suis secundum vires suas, & secundum proportionem acceptorum Talentorum cooperatur, ut ex sequentibus patebit.*

PUNCT. III. *Post multum verò temporis (quod, etiam si alibi modicum & breve dicatur, comparatione videlicet Aeternitatis secuturae, absolutè tamen usque ad Extremum Diem Judicij, vel etiam Vitae, multum dici potest) venit Dominus servorum illorum, & posuit rationem cum eis. Et accedens, qui quinque Talenta acceperat, obtulit alia quinque Talenta, dicens: Domine, quinque Talenta tradidisti mihi: ecce alia quinque super lucratus sum. Ait illi Dominus ejus: Euge Serve Bone & Fidelis, quia super pauca fuisti Fidelis, super multa te constituam: intra in Gaudium Domini tui. Accessit autem, & qui duo Talenta acceperat, & ait: Domine duo Talenta tradidisti mihi, ecce alia duo lucratus sum. Ait illi Dominus ejus: Euge Serve Bone & Fidelis, quia super pauca fuisti Fidelis, super multa te constituam, intra in Gaudium Domini tui. Considera, quantam Fiduciam, Securitate, & Gaudio*



dio hi Servi accesserint. Sic qui tempus vitæ, quan-  
 tumvis longum, non otiosè & inutiliter transigunt, qui  
 Auxilijs Gratiæ secundùm vires cooperantur, magnâ  
 cum Fiduciâ, Securitate, & Gaudio ad Judicem ac-  
 cedunt. Et tunc à DEO ipso laudantur, tanquam Bo-  
 ni & Fideles Servi. Unde contempta laude humana,  
 Divinam expectemus, sequentes illud Pauli monitum  
 1. Cor. 4. v. 5. *Nolite ante tempus judicare (vel judicari)*  
*quoad usque veniat Dominus: qui & illuminabit abscondi-*  
*ta tenebrarum (opera in occulto facta) & manifestabit*  
*consilia cordium: & tunc laus erit unicuique à DEO.* Non  
 solùm autem laudantur Fideles Servi, sed super omnia  
 Bona Domini sui, per Visionem Beatificam, & Amo-  
 rem Beatificum possidenda, constituuntur: & in ipsius  
 Domini Gaudium (illud scilicet, quo ipse Dominus  
 DEUS gaudet) Infinitum, Immensum, Æternum  
 ex parte objecti & temporis, jubentur intrare: quod  
 cum ipsi capere non possint, sed à Gaudio objecto ca-  
 piantur, & toti obruantur; ideo non in ipsos Gau-  
 dium intrare dicitur, sed ipsi intrare in Gaudium.  
 Observa etiam eandem Laudem, & idem Præmium,  
 iisdem verbis, duo tantùm Talenta lucranti attribui;  
 quia, licet secundùm inæqualitatem Meritorum Præ-  
 mia futura sint inæqualia accidentaliter, essentiali-  
 ter tamen, (ut Theologi loquuntur) erunt æqua-  
 lia; sicut alibi singuli Operarij in Vineâ Domini singu-  
 los denarios diurnos accepisse dicuntur. Itaque con-  
 tentus esto, si pauciora Talenta accepisti, modò  
 illis cum proportione coope-  
 reris.



MEDI-



## MEDITATIO CCCCXVII.

*Continuatio ejusdem Parabola.*

Matth. 25. v. 18.

**PUNCTUM I.** *Qui autem unum acceperat, abiens fodit in terram, & abscondit pecuniam Domini sui. In terram Talentum suum abscondit, qui tantum terrena sapit, & terrenas voluptates, ac honores querit, qui terrenis curis, ac sollicitudinibus Auxilia Gratiae obruit, qui animum raro ad Cælestia erigit, qui abutitur ad terrena tantum sectanda illo Psalmistæ versiculo Ps. 113. v. 16. Cælum Cæli Domino: terram autem dedit filiis hominum.*

**PUNCT. II.** *Accedens autem, qui unum Talentum acceperat, ait: Domine, scio, quia homo durus es, & metis, ubi non seminasti, & congregas, ubi non sparsisti: & timentibus, & abscondi Talentum tuum in terra: ecce habes, quod tuum est. v. 24. Considera, causam desidiæ, & Acediæ Spiritualis esse, non rectè sentire de DEO, & vel in desperationem propter imaginationem nimie Severitatis, vel in præsumptionem propter imaginationem nimie Lenitatis induci. Ideo Sap. c. 1. v. 1. medium tenere jubemur: *Sentite de Domino in Bonitate, & in Simplicitate cordis quarite illum: perverse enim cogitationes separant à DEO.* Considera etiam, quam falsum & cæcum fuerit iudicium hominis pigri de Domino, sive DEO suo: ipsum enim Talentum acceptum fuit sparsum à Domino semen lucri, per ipsum servum faciendi. Tu ergo Auxilia Gratiae agnosce Bonorum Operum semen esse, & pro his Bonorum Operum segetem esse reddendam. Falsum etiam est, DEVM esse Dominum*



Dominum durum, cui satisfieri non possit; homines enim potius sunt domini duri, & tamen illis servitur cum magna diligentia: Deus verò contentus est solo nostro conatu, modò faciamus, quantum possumus. Observa tamen, DEVM in aliquo sano sensu admittere comparisonem sui cum homine *Duro*, sive *Austero* Luc. c. 19. Et ideo etiam hîc, in persona hominis *Duri* à servo appellati, dixit ei: *Serve male & piger, sciebas, quia meto, ubi non semino, & congrego, ubi non sparsi &c.* v. 26. Quia exigit à servis suis etiam fructus propriæ illorum *Industriæ*. Itaque *Auxilijs Gratia Divinæ* respondeat propria *Industria humana*.

PUNCT. III. Respondens Dominus ejus, dixit ei: *Serve male, & piger* (hæc Pæna vituperij opponitur laudi *Servi Boni Fidelis*) *sciebas, quia meto, ubi non semino; & congrego, ubi non sparsi: oportuit ergo te committere pecuniam meam numularijs, & veniens ego recepissem utique, quod meum est, cum usura* (nempe cum lucro ex *Industria* tua redundante) *Tollite itaque ab eo Talentum &c.* (Ecce altera Pæna, quâ condemnati privantur *Auxilijs Gratia Supernaturalis*, ut per totam *Æternitatem* nequeant præstare *Fructus dignos Pænitentia*) *& inutilem servum eijcite in tenebras exteriores: illic erit fletus & stridor dentium.* Hæc tertia Pæna est. Sicut enim *Servus Bonus & Fidelis* jubetur intrare in *Gaudium Domini*, quod est *Visio Beatifica*; sic *servus malus & piger* eijcitur in oppositas tenebras, nempe in *privationem Visionis Beatificæ*, quæ vocatur *Pæna Domini*: & sicut *Gaudium Servi Boni* tantum est, ut non ipsum *Gaudium* in *Servum*, sed *Servus* in *Gaudium* intrare dicatur; ita illa Pæna Damni

tanta



tanta est, ut servus malus in tenebras eijci dicatur, & ex exteriores appellentur, circumdantes servum, quibus additur *Pana Sensûs*, sensibili signo fletus, & fridoris dentium indicata. Factâ itaque comparatione inter Præmium Servi Boni, & supplicium Servi mali territus, noli Talenta tua in terra abscondere.

## MEDITATIO CCCCXVIII.

### *Christi Judicis Majestas, &*

*Sententia. Matth. 25. v. 31.*

**P**UNCTUM I. *Cùm autem venerit Filius Hominis in Majestate sua, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super Sedem Majestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes Gentes. Prius venit Filius Hominis in Humilitate sua, desertus ab hominibus, jacens in Præsepio abjectionis suæ, imò pendens in infami Ligno Crucis suæ. Vides ergo, quantus Honor in altera Vita rependatur pro Humilitate hujus vitæ. Sic bona & honores temporales relinquentibus ipse Christus promisit Matth. 19. v. 28. Amen dico vobis, quòd vos, qui secuti estis me, in Regeneratione, cùm sederit Filius Hominis in Sede Majestatis suæ, sedebitis & vos super Sedes duodecim, judicantes duodecim Tribus Israël. Considera etiam, cùm Extremum Judicium instituat coram omnibus Angelis & Hominibus, quantus sit futurus publicus Honor illis, quorum internæ Virtutes & Bona Opera, in occulto facta, omnibus manifestabuntur: econtrariò quanta ignominia illis, quorum interna, vel occulta peccata publicè prodentur, quæ coram uno homine fateri, vel patrare erubuissent. Et quidem ipse Supremus*

Judeus



Judex, qui nec falli potest, nec fallere, nec illorum quidpiam ignorare, omnium illorum claram, distinctam, & certam Scientiam singulorum hominum intellectui infundet, ut pateat singulis æquitas Judicij. Nec tamen delectabit, sed potius cruciabit reprobos hæc Scientia.

PUNCT. II. *Et separabit eos ab invicem, sicut Pastor segregat oves ab hædis. v. 32.* In hac vita non fit hujusmodi separatio: sicut ergo hædi non ideo oves sunt, quia cum ovibus pascuntur; ita non ideo bonus es, quia in Bonorum Cætu degis. Itaque inter bonos degens, te illis indignum, ac dissimilem existima. Pende etiam, quam ignominiosa, quam tremenda futura sit illa separatio: quia Oves in Cælestem Aulam, Hædi in Caulam Infernalem immittentur. Imitare itaque nunc Ovium Innocentiam, Mansuetudinem, Simpliciter, Fæcunditatem: & procul fac à te factorem peccati, hircorum factori similem.

PUNCT. III. *Et statuet oves quidem à dextris suis, hædos autem à sinistris. v. 33.* Per dextram significatur Honor, conferendus in Justos; per sinistram verò contemptus, publica confusio, & ignominia injustis eventura: per dextram indicatur etiam omnis prosperitas; per sinistram omnis adversitas. Si itaque in hac vita homo hominis ambit dextram, quanto magis ambienda est Dextra Supremi Judicis? Felix illa Anima, de qua cum Deo regnatura dici aliquando poterit. Pl. 44. v. 10. *Assitit Regina à Dextris tuis, in Vestitu deaurato, circumdata varietate, nempe deaurato per aurum Charitatis, & varietate Virtutum circumdata.*



## MEDITATIO CCCCXIX.

*Continuatio eiusdem Argumenti.*

Matth. 25. v. 34.

**P**UNCTUM I. *Tunc dicet his, qui à Dextris ejus erunt: Venite Benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum à constitutione mundi. Esurivi enim, & dedisti mihi manducare &c. Amen dico vobis: quamdiu fecistis mihi his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Considera singula verba hujus Sententiæ ferendæ erga Justos, à Dextris stantes. Dicet Christus: Venite: illis nimirum, quibus antè dixerat, & qui etiam paruerant dicenti: Qui vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me. Tunc implebitur illud, quod aliibi dixerat: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & Ego reficiam vos. Itaque nunc veni, & sequere Christum, ut merearis inter Electos audire: Venite. Dicet etiam: Benedicti Patris mei. Omnis laus humana, omnes honorum tituli nihil valent comparatione hujus Elogij. Dicet: Possidete paratum vobis Regnum &c. Non tantum promittitur, sed traditur Regnum Cælorum, ab æterno quidem decretum, sed paratum à constitutione mundi, quando Cælum Empyreum, omnium Beatorum Sedes, conditum, & pro futura habitatione præparatum est. Dicet quoque: Esurivi enim &c. Quod tantum exempli gratiâ exprimitur, non enim hoc tantum, sed omnia Opera Bona manifestationis, licet fuerit solum porrectio aquæ frigide, pro quo non rependatur Præmium æternum ab*



quissimo & Liberalissimo Judice; sicut nullum, etsi levissimum peccatum, erit impunitum. Hinc ergo desume, si tale Præmium rependitur pro Operibus Misericordiæ Corporalibus, quanto majus rependendum sit pro Spiritualibus; & quoniam vides, quod tanti hujusmodi Opera Charitatis æstimet Christus, ut velut sibi facta credat, tu quoque in horum exhibitione ipsum Christum respicere stude.

PUNCT. II. *Tunc dicet & his, qui à sinistris erunt: Discedite à me Maledicti in Ignem Æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis ejus. Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare &c. Amen dico vobis, quamdiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis.* Considera & hujus Sententiæ singula verba. Per priora: *Discedite à me,* denunciatur Pæna Damni, nempe repulsio à fruitione DEI. Per posteriora: *In Ignem Æternum &c.* Pæna sensûs. Per ultima exprimitur Causa Damnationis, quæ etiam tota secundum omnia peccata coram omnibus Angelis & hominibus manifestabitur.

PUNCT. III. *Ei ibunt hi in Supplicium Æternum, Justi autem in Vitam Æternam.* Considera celerem, certam, & inexorabilem executionem Sententiæ Judicialis, & ejusdem executionis Æternitatem nunquam remittendam. Nunc in potestate tua est, tibi cedere Sententiam, quam malles. Sequere igitur consilium Thomæ Kempensis l. 2. de Imit. c. 12. dicentis: *Durus multis videtur sermo: Abnega te ipsum, tolle crucem tuam, & Sequere Jesum: sed multo durius erit audire illud Extremum Verbum: Discedite à me Maledicti in Ignem Æternum.* Qui enim modo libenter audiunt, & sequuntur Verbum Crucis, tunc non timebunt ab auditione Æternæ Damnationis.



## MEDITATIO CCCCXX.

*Consummatio Prædicationis Christi.*

LUC. 21. V. 37, Matth. 26. V. 1.

**P**UNCTUM I. *Erat autem diebus docens in Templo: noctibus verò exiens, morabatur in monte, qui vocatur Oliveti.* Luc. 21. V. 37. Considera, Christum ultimis mensibus frequenter, & proximè ante Mortem tribus continuis diebus, tempus diurnum docendo exegisse in Templo Jerosolymitano, scilicet à Dominica Palmarum usque ad diem Mercurij; quamvis sciret sibi insidias strui, Auditores fore ingratiſſimos, & parùm profecturos propter duritiem & pertinaciam suam. Ita functiones tui officij pari diligentia & constantia obire perge, etsi parùm per illas efficias, & optatum fructum non consequaris, multosque in illis adversarios, hominumque ingratitudeſtatem sustinere cogaris. Ex eodem Christi Exemplo disce, nulli labori usque ad finem vitæ parcere, & propter Opera Charitatis erga Proximum, si necesse est, propriæ Devotionis Exercitia Spiritualia etiam in noctem differre.

**P**UNCT. II. Considera Christum noctibus in montem Oliveti secessisse Orationis gratia, sicut alias c. 6. V. 12. S. Lucas dicit: *Factum est autem in illis diebus, exiit in montem orare, & erat pernoctans in Oratione.* DE I. Sic quando multitudine occupationum necessariorum à consueta Oratione & Spiritualibus Exercitationibus diurno tempore impeditus es, eas adhuc ante lemnium supple nocturno tempore, si fieri potest, vel certè, quamprimùm potes. Imitare etiam Christum



in eligendo loco & tempore opportuno pro Oratione, ut animo collecto, sursum elevato, à curis & negotijs libero, eam peragere possis. Insuper considera, Christum pro ijs, quos de die docuerat, de nocte preces fudisse: sic pro tibi commissis DEVM deprecari, & semen Doctrinæ Oratione rigare debes, ut optatum fructum ferat. Vel si Proximum tuum ratione statûs vel muneris tui nequeas juvare Doctrinâ, saltem Oratione juva, & imitare Christum, si non docentem, saltem orantem pro Salute Proximi. Denique perpende, si Christus pro Salute Proximi integris noctibus vigilavit, quàm vigilem te oporteat esse pro Salute propria. Itaque Christus non tantum Verbo, sed etiam Exemplo dixit: *Vigilate, & Orate.*

PUNCT. III. *Et factum est; cùm consummâsset JESVS Sermones hos omnes, dixit Discipulis suis: Scitis, quia post biduum Pascha fiet, & Filius Hominis tradetur, ut crucifigatur.* Matth. 26. v. 1. Considera, verbo *Consummâsset* significari, Christi Doctrinam fuisse consummatam, & omnibus numeris absolutam: itaque secundum eam vitam tuam institue, ut Perfectionem consummatam assequaris; & ita stude, legendo ac meditando Christi Doctrinam, in illa proficere, ut consummatam ejus notitiam obtineas. Eodem verbo *Consummâsset* indicatur etiam, Christum non tantum absolvisse suos Sermones, sed consummâsse, id est, Prædicandi munus ita complevisse, ut cum veritate dicere posset Joan. 15. v. 15. *Omnia, quacunque audivi à Patre meo, nota feci vobis: quantum scilicet vos capere poteratis, & quantum Pater Cælestis voluit notificari.* Ex quo patet, quàm perfectè Christus Magistri munus erga Genus Humanum expleverit. Ex-



454 *Ab Octava SS. Corp. Christi usque ad Adventum.*

pende ergo, quid huic Magistro debeas, quantam  
Gratitudinem, quantum Amorem, quantam Obser-  
vantiam, Obedientiam, & Imitationem, qui Sermo-  
nes suos non tantum Verbo, sed Opere ipso consum-  
mavit; & sicut dixit, sic vixit. Cæpit facere, & do-  
cere, & cæpta consummavit, & suo Sanguine  
ac Morte consignavit.

*FINIS PARTIS SECUNDÆ.*



*INDE*